


ENARR. HISTORICÆ
DE
ISLANDIÆ NATURA
ET CONSTITUTIONE
FORMATÆ & TRANSFORMATÆ
PER ERUPTIONES IGNIS

Ex

Antiqvissimis Islandorum, Manuscriptis Historiis, Annalibus, Relationibus, necnon observationibus

Conscriptæ

PARTICULA PRIMA
DE
ISLANDIA, ANTEQVAM COEPTA EST HABITARI

Qvam

Pro STIPENDIO VICTUS REGIO
CONSENSU AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI
Publico Opponentium Examini
Subjiciet

EGERHARDUS OLAVIUS ISLAND.

RESPONDENTE

ILLOGO SIGURDI FILIO,
S. Sti. Ministerii Candidato.

In AUDITORIO COLLEGII REGII

Die Anno M. DCC. XLIX.

HAFNIÆ,

Typis & Impensis *Directoris* S. R. M. & Universitatis Typogr.
JOH. GEORG. HÖPFFNERI.

CENSURA.

In Hiſtoricis hiſce, de Natura & Conſtitutione Islandiæ, enarrationibus, multa mirabilia Naturæ ſpectacula, qvæ hactenus, in Borealibus tenebris, jacuerunt ſepulta, publicam in lucem profert præſtantiſſimus Auctor, EGERHARDUS OLAVIUS, natione Islandus.

Habent hic curioſi rerum naturalium ſcriptores & ſcrutatores, in qvibus & Animum delectent, & Ingenii Judiciiqve Acumen exerceant. Cum vero fabuloſas Antiqvitatis traditiones, prudenter notet, laudatus Noſter, nihilqve afferat, niſi vel certum, vel ſanæ Rationi congruum, hunc ejus laborem, Hiſtoriæ Naturalis Fautoribus, gratum fore ſpero.

Hafniæ, die 1. Septembris,
Ao. MDCCXLIX.

J. F. RAMUS.

Qvæ, de ſcripto hoc egregio rectiſſime judicat, præſtantiſſimi autoris, ut apud nos mos eſt, Præceptor privatus, Perilluſtris S. R. M. Juſtitiæ Conſiliarius, & Collega honoratiſſimus, Dnus. JOACHIM FRIDERICUS RAMUS, Mathemat. in Regia hac Univerſitate Prof. O. &c., noſtra qvoqve merito & jure facimus, & Luce publica digniſſimum cenſemus.

Havniæ IV. Non. Septembr.
Ao. cIↄIↄccxLIX.

JOH. PET. ANCHERSEN
J. U. D. & Fac. Phil. h. a. Decanus.



PRAEFATIO AD LECTORUM.

Vides hîc Lector Benevole Islandiam, qvalem tibi repræsentari, temporis ſtatus & Anguſtiæ, permiſerunt. Incluſa enim eſt conciſo & magis, qvam optavi aſtricto compendio, cujus laxata magnitudo, multis ægerrimè voluminibus, comprehenderetur. Auſum ſané eſt tenellis & immaturis Adoleſcentis viribus longè ſuperius, talem tractare materiam. Qvoniam autem, vir qvidam in Islandia, non ignobilis, cui & neceſſitudine & beneficiis, ſum devinctiſſimus, â me, proximè antecedenti anno, petiit, ut Saxeta Islandiæ,

olim liqvefacta, Incolis Hraun, describenda aggrederer, hanc materiam, pro Stipendio Victus Regio, cum illam nemo prius, me sciente, elegerit, elegi ipse, non tamen ut expoliendam, sed tentandam potius, & qvasi exercitoriam. Divisi illam in duas particulas, qvarum Prior qvalitercunqve absoluta, jam lucem videt publicam. Complectitur hæc particula, productas ab Igne subterraneo Revolutiones, per qvas Islandia, formata est & variè transformata, anteqvàm â Norwagis cœpit incoli. Duabus Sectionibus constat: Prima versatur circa apertiora revolutionum signa, qvalia sunt Igne enati Montes, Saxeta & Planities, cum suis Thermis & Balneis. Posterior occultiora signa in se continet, qvalia sunt inordinata terræ strata & cavitates sub terra, Mineralium & Metallorum qvisqviliæ, corpora petrefacta & alia Terrarum genera, qvæ Islandiæ naturam vel originem explanant. Annectitur Sectioni bre-

brevis maris Islandici delineatio, tam qvoad Insulas, qvam exustum fundum. Posterior Particula, Deo volente, aget de Revolutionibus Insulæ, qvas Ignis, postqvam habitari cœpit produxit, & enatis inde terris tam in ipsa Islandia, qvam in vicino mari.

Qvod in Præsenti Particula tradidi & asserui, in seqvuturâ clarius exponetur, eventorum ope singularium, qvæ in terrarum incendiis annotata sunt. In hocce opusculo, usus sum Bibliotheca B. Arnæ Magnæi, manuscriptâ prisco nostro Idiomate, qvæ res Islandicas continet. Hujus membranas & chartas, (etiamsi frustra plures,) sæpius pervolvi, excerpsiqve ex illis, qvicqvid ad susceptum opus spectabat. Ni obstitisset pagellarum contractio, mens mihi fuisset afferre sententias, cum versione Latina, cum autem opusculum, in nimiam magnitudinem excresceret, mutavi propositum, contentus, citâsse manuscriptorum nomina, qvæ, ne legenti officerent, vel

moverent faſtidium, in margina poſui. Loca Islandiæ non certè dimenſus ſum, cum nullæ illam, qvas vidi, mappæ perfectam, & geometricè proportionatam exhibuerint; ſed conjecturaliter, & prout Islandorum Dag-leydir, ſive diurna itinera, mihi ſuccurrere potuerunt. Qvod ad Hiſtoriam attinet, meam nemini fidem obſtringo, ſed ad Auctores ipſos vel Relatores, relego. Rudes & vulgares meas opiniones, qvas non expreſſi eo reſpectu, ut tanqvam qvid viſu dignum oſtentaretur, ſed, ut animi vires meditationi aſſvefierent, in medio relinqvo, ſubmittoqve eorum judicio, qvi me adultiores ſunt ætate & Sapientia. Si qvid igitur frugi habent hæ lineæ, iſtud, o Lector Benevolentiſſime, tanqvam Ennianum Aurum collige, qvicqvid vero male fundatum & erroneum occurrit, iſtud emenda, & inſtigare ſimul, ad enixius eruendam veritatem, magisqve legitimè concludendum.

DI-



DISCURSUS PRAELIMINARIS. DE ORTU ET EFFECTIBUS IGNIS SUBTERRANEI.

Cui

HYPOTHESIS DE ISLANDIAE NATURALI

Origine Annectitur & Enucleatur.



§. I.

Ignem per interiorem Globum Terraqveum diffusum esse, cum Thermæ Æstuantesqve Fontes, qvi absqve Igne existere neqvirent, tum maximè Montes & alia loca Ignivoma, in terræ Superficie, passim commonstrant. *Ignis Subterranei Materia.*

§. II.

Ignis igitur in Penetralibus terræ ſeſe accendit, unde neceſſariô adeſt materia ita conſtituta, ut motu ſuo Ignem concipiat, qvalis autem ſit, latet adhuc.

Sulphur, Bitumen, Naphtha &c. cum Salibus adſunt in terrarum incendiis, & ad Subterranei Ignis violentiam contribuunt. Maſſam ê Scobe Ferri & æqvilibri Sulphure, bene commixtam & humectatam, ſi inhumetur, ſimiles ſubterraneo Igni effectus producere, experimento à multis probatum eſt.

§. III.

Cauſa Ignis Subterranei. Cauſam exortus Ignis eſſe Aërem, Camini Folleſqve monſtrant; non enim ſolum excitatur aeris motu, ſed & ſine aëre nullus exiſtit, ſunt qvoqve aliæ cauſæ exortus Ignis, ut aqvarum illapſus & vaſtarum terræ portionum ruinæ. Paucis: Materiæ Gravitas, eſt cauſa Motrix Sopiti Ignis.

§. IV.

Ex motu materiarum ſubterranearum liqvet, ſpatia dari vel cavitates ſub

ſub terrâ, qvæ, ab Aqva, Aëre & Igne occupantur (§. (III.) Hæ cavitates à ſuperficie terræ ſunt remotisſimæ, interdum, aliqvot Milliarium Germanicorum intervallo, ut ex Ignis in erumpendo vi, pateſcit, qvi immenſas terrarum moles, Montes & Saxa ejaculatur.

§. V.

Ignis ſubterraneus & aqvâ, etiamſi ob naturarum diverſitatem cohabitare neqveant, in uno eodemqve loco, tamen modicè diſcluſi, amicitiam fovent ſanctiſſimam, viresqve mutuo adaugent, qvod Fontes fervidi & Ignivomi Montes confirmant.

§. VI.

Differt Ignis violentia, vel pro diverſitate pabuli (§. II.), ſulphur enim & materiæ oleoſæ, leniter ardent, Hali-Nitrum contra, cum horrendis Fragoribus & impetu: vel pro terrâ, ex qvâ ſe proripit Ignis, nam Saxoſa terra majus erumpenti Igni negotium faceſſit, qvam mollis & harenoſa. Gradus violentiæ Ignis Subterranei.

§. VII.

Qvando terra in curſu Ignem retinet, reluctatur ille, cauſaturqve Terræ motus cauſa.

 Ter-

Terræ motum, qvi remotis ab Igne obſtaculis, deſinit. Oritur etiam Terræ motus aqvarum lapſu & terrarum ruina (§. III.) Utrumqve ſæpiſſimè Ignis producit, in longum latumqve ſuffodiendo terram.

§. VIII.

Terræ motus effectus. In his concuſſionibus, terræ diſſiliunt, qvoniam earum fundamina disjiciuntur. Si in ſuperficie aqvæ adſint, diſparent; Si cavitates ſublateant, abſorbent terras; ſi aqvæ, ut leviores, ſubſidente terrâ ad ſuperficiem aſcendunt, ibiqve formant Lacus.

§. IX.

Ignis eruptio. Remotis omnibus impedimentis erumpit Ignis, æqvè in terris, qvæ altiores ſunt, ac in maris fundo, qvi eſt depresſior. Mare enim flammas, non tantum non coërcet, ſed & ſuâ ſalſedine, adauget & inſtimulat. Idem Aqvæ Sulphuroſæ & Bituminoſæ præſtant.

§. X.

Ignis ejectamenta. Ignis Subterraneus maxima vi ad exitum penetrat (§. IV. & VI.), per conſeqvens omnia, in aſcenſu, obvia,

 ſe-

ſecum extrahit, non ſolum igneſcentes materias (§. II. & VI.), ſed etiam alias terræ glebas, Metalla & Saxa, qvorum partem, in cineres comburit vel calcinat. partem, Mineralibus & Metallis commixtam, in torrentibus effundit, qvi, cum conſiſtunt, in lapidem congelantur. Saxa etiam vaſtiſſima, qvæ tam cito neqvit Ignis pervadere, illæſa eructat, perfuſa interdum Sulphuris Fuligine. Qvasdam lapidum Species exedit Ignis, usqve dum in pumices abeant. Qvando in ſubaqveis locis (§. IX.) fit eruptio Ignis, limum egeritur, qvod Sol, ardore ſuo exſiccat & indurat.

§. XI.

A Rejectamentis Ignis (§. X.) obſtruuntur antiqvæ terræ, novæ autem cum Montibus, &, in mari, Inſulis, ſubrigunt ſe; eminus primum, cum major Ignis copia, majori vi, res, in ſe contentas, protrudat. Poſtremum vero ignis, gradatim langveſcens, in ipſo orificio exſævit, ibiqve relinqvit Montem. Terrarum Generatio.

§. XII.

Terrarum enatarum conſtitutio. Terræ, qvæ in tali raptu oriuntur, ſitum & Figuram oppidò irregularem ſortiuntur; ſaxa enim inæqvaliter ejecta, abruptaqve, totam interius molem cavernoſam, exterius antris & fiſſuris hiantem reddunt. Hinc magna pars impluentis aqvæ format Lacus atqve flumina ſubterranea, qvæ non raro ſe in mare exonerant. Similiter terræ in mari emerſæ (§. IX. & X.) non tantum ſuperius pluvialem aqvam imbibunt, ſed & inferius Marinam, cujus Salſedinem ſi extrinſeco mari aditus præcludatur, partim percolat terra, partim pluvia deſtillans diluit.

§. XIII.

Terræ enatæ qvo modo fertiles evadant. Terræ, Igne enatæ, etiamſi vulgo non credatur, temporis longinqvitate, fertiliſſimæ evadunt; nam Nix & Pluvia, illis ingerunt ſemina fructifera, variasqve terræ particulas, oleo, Nitro, & aliis fœtas Mineralibus, qvæ, reſiduis illis (§.X.) immixta, terram fœcundant. Terræ tamen cineribus obductæ Saxoſis lon-

longe fertiliores evadunt, Propterea qvod nix & pluviæ, in montes delapsæ, qværunt valles & loca humiliora, abreptis secum cineribus & favillis, qvibus vallestrem terram commiscent, lactantqve totam massam, ante dictorum Mineralium succis.

§. XIV.

Hoc terrarum genus, ut male fundatum (§. XII.) mutationibus semper est obnoxium. Radices Montium flumina, latera & fastigia procellæ, obrodunt, evertuntqve. Maxime vero, si Ignis subterraneus recrudescit, invertuntur; nam tunc ille, suis moliminibus (§. VII. & VIII.), malè jacta terræ fundamina diruit, & aqvas subterraneas, & calentes & frigidas, producit, descendente in earum locum terrâ (§. VIII.). Terrarum enatarum Revolutiones.

§. XV.

Qvando igitur, subtus adest materiâ, naturà inflammabilis (§. II.) existente puta motrice causa, (§. III.), tum resævit Ignis Solito Furore (§. IX. X. & XI), & ita, in perpetuum, pristi-

stinis ejectamentis, nova superingerit, erigitqve sublimius terras.

§. XVI.

Islandia Ignis subterranei vi enata est. Cum jam Islandia, omnia, ita enatæ terræ signa, præ se ferat, conclusi, hanc, eodem, ac illam, modo, protuberasse, si non ex omni, tamen ex parte maximâ. Hoc autem factum fuisse multis, antea qvam inventa est, seculis, non tantum modo sylvæ maximè, qvæ è saxetis ejectitiis, exustisqve Montibus excretæ sunt; sed &, qvem in erumpendo, servat ignis, modus (§. XV.) luculenter ostendunt. In principio enim Insulæ marisqve scopuli extuberarunt, è qvibus, in intervallatis Ignis eructationibus, aggestâ terrâ (§. XI.), in unum concrevit moles, qvæ, adjectis subinde novis portionibus, in illam demum, qvam videmus, altitudinem, exstructa est.

§. XVII.

Islandia post inhabitationem depravata est. Qvod in majori flore steterit Islandia, anteqvam a Norvagis cœpit incoli, incendia ab illo usqve tempore,

re, ad hodiernum facta, indigitant, qvæ fertilissima Insulæ loca, magis ac magis depravarunt. Et forsitan, tantas revolutiones subierit, ut si qvos habuisset incolas, superstites fuisse, neqvaqvam siverit. Hic est rudis meus conceptus, de primordiis Islandiæ. Plura, & in primis particularia, ipsæ post hæc enarrationes suppeditabunt.



PAR-

PARTICULAE PRIMAE.

SECTIO PRIMA.

DE ISLANDIAE NATURA ET CONSTITUTIONE APERTIORI.

CAPUT PRIMUM.

DE ISLANDIAE NATURA ET CONSTITUTIONE IN GENERE.

MEMBRUM PRIMUM.

DE ISLANDIAE SITU ET FIGURA, IN GENERE.

§. I.

Islandiæ Magnitudo.

Islandia, poſt Britanniam, Inſularum Arctoi orbis (a) maxima, reſpectu ad incolas, parva cenſenda eſt. In cauſa non eſt populi, ſed ſoli ſterilitas, & habitationi inimica conſtitutio, ſurgit enim ex undis maris aſpera, muſcoſis, & freqventer Igne eroſis ſaxis.

§. II.

(a) Islandia in 120 Milliarium Germanicorum longitudinem protenditur. Latitudo inæqvalis eſt, nam in qvibusdam locis (excepto Iſthmo Veſtfiordico), vix 30, in aliis contra 80 Mill. Germ. explet.

§. II.

Hinc non aliter ſpectari poteſt Islandia, qvam vaſtus montium tractus, eminentium maris ſuperficiem, in qvorum vallibus, & declivibus oris, ſedes habent, in compluribus locis, inter ſe disjunctiſſimas, Incolæ. Montibus Conſtat.

§. III.

Loca tamen illa montibus ſubmiſſa, terra gaudent optima, qvæ & gramine pingviſſimo, & herbis, maximæ virtutis & Fragrantiæ, luxuriat, ita, ut forte multis terris, qvæ ſua fertilitate ſuperbiunt, inter ſcabratas ſuas cautes, palmam præferat. Hoc qvomodo fieri poſſit, ſuperius (§. XIII.) explicatum eſt. Vallium Fertilitas.

§. IV.

Islandia Figuram habet & Faciem, plane ſingularem valdeqve inordinatam (Diſc. Præl. §. XII.) congeſta eſt e lapidibus rupibusqve præruptis, poroſis ſæpius, & triſti ambuſtaqve nigredine horrentibus, qvibus intermixtæ ſunt, cum pumicibus harenæ, rubræ, nigræ, albæ &c. ad fir-

mandam structuram terræ (vid. Disc. Præl. §. X.)

§. V.

Montium Situs. Perpetuum Montium dorsum, a terminis orientis versus occidentem, in longitudinem excurrit, ex qvo, utrinqve, innumera ferme Promontoria, costarum instar prominent, totamqve insulam sinuosam redduut.

§. VI.

In Umbilico Insulæ, catena montium, in unum qvasi nodum concurrit, ita ut magnum istud montium dorsum (En. Hist. §. V.), mediam distrahat terram, & cum Transversis illis montium jugis, in Qvadrantes dispescat. a (b) Qvatuor mundi, qveis objacent, cardinibus, denominatos.

§. VII.

(b) Hi Qvadrantes ita nominantur: Australis, Sunlendinga-Fiordungur, Orientalis, Austfyrdinga-Fiordungur, Septentrionalis, Nordlendinga-Fiordungur, & Occidentalis, Vestfyrdinga-Fiordungur. In illos dispartita erat Insula Anno 963. vid. Land-nama-Bok Islendinga (qvæ agit de primis incolis Islandiæ.) Part. 1. Cap. 20. & Part. 5. Cap. 15. confer Schedas Ara

§. VII.

Tria ſunt maxima Inſulæ Promontoria: Langa-nes, longum Promontorium, Qvadrantem Orientalem, a Boreali discludit. In Auſtrali parte eſt Rykia-nes, Fumorum Promontorium. Et in Occidentali Snæ-fells-nes, Nivei Montis Promontorium. Hic enim Situs eſt Snæ-fells-Jøkull, Glacialis, omnium Inſulæ montium, altiſſimus. Notum eſt præterea Auſtur-horn, Orientale Promontorium, & Veſtur-horn, Occidentale. Promontoria maxima.

§. VIII.

Ex illa Islandiæ plaga, qvæ Occidenti eſt oppoſita, dorſum Montium (§. V.), ſe exporrigit, Iſthmoqve primum auguſto, deinde laxiori ſpatio, Pen-Inſulam conſtituit, altiſſimis longiſſimisqve Promontoriis ſinuoſam, qvæ eapropter, Veſt-Fyrder, occidentales ſinus, appellatur. Pen-Inſula. Veſt-Fyrdir.

Preſts Froþa Cap. 4. & Hœsna-þóris-Saga Cap. 15.

MEMBRUM SECUNDUM
DE
ISLANDIA COMBUSTA IN GENERE.

§. IX.

Montium In Constitutio.

In Islandia, altissimorum Montium Vertices, nive semper & glacie, etiam æstivo tempore candicant. Obrigent inferiora nigris disruptisqve saxis, tam fragilibus, ut ad minimum lapsum dissiliant. Rupturæ, vel saxorum interstitia, harena non raro referciuntur. Montium Majorum constitutio, minoribus convenit.

§. X.

Deserta Saxosa.

Circa Montes Islandiæ, deserta jacent vastissima, Melino obducta musco, qvæ Islandi Hraun vocant, â Hrune, Ruina; Latine, qvoniam scabris Saxis constant, Salebras vel Aspreta appello. Massa lapidea nigricat, cavernulosa est interius, si diffringatur, cavernularum interstitia densa apparent; extrinsecus, scabrities salebrosa, scoriæ ferri est perqvam simillima.

§. XI.

§. XI.

Hæc saxeta, in Ignis subterranei eruptionibus enata esse innumera exempla probant. Combusta non esse durities & cohærentia ostendit, sed potius fusa vel liqvefacta, qvod varia massæ distortio atqve transfiguratio, indicat. Cum jam lapis per se non sit liqvabilis, variæ Mineralium Metallorumqve sordes, necessario adsunt, maxime Ferri, qvod, ut impurissimum, qvam cætera metalla, terram facilius admittit. Talis congeries, admiscetur massæ lapideæ, in subterraneis incendiis (Disc. Præl. §. X.), & extra Crateres Montium evomitur, in Ignitis torrentibus, qvos Stein-Flod, lapideum Profluentum Islandi appellant, Loca vero Hraun (En. Hist. §. X.) qvæ hac Ignita materia, superfunduntur. Hraunorum descriptio.

§. XII.

Circa Montium radices, lapides minores reperiuntur, qvos Vikur & Vikur-Kol, appellant, leves & porosi, Latinis Pumices, qvibus Ignis gravissimas lapidis particulas erosit, relictis levissimis terræ sordi- Pumices Albi & Nigri.

bus. Duplex hic pumicum ſpecies: Nigra, durior, graviorqve, ad Hraunorum Naturam (§. X & XI.), propius accedit. Alba vero, exteris notiſſima, Danis Pimpe-Stein, naturalem lapidis gravitatem prorſus perdidit. A Plinio deſcribitur. Hiſt. Nat. Lib. 36. Cap. 21. (vid. Diſc. Præl. §. X.)

§. XIII.

Planities harenoſæ. Amant ſalebras harenoſæ planities, varie coloratæ (En. Hiſt. §.IV.), qvæ in colles concolores non raro aſſurgunt. Rubræ & Nigræ revera ſunt cineritiæ, qvæ, pro varia mineralium tinctura, colorantur; ruborem ab excocto ſulphure vel minio, a fuligine vero exuſti ſulphuris, nigredinem, videntur accipere. Ejusdem generis cineribus, ſive exuſtis comminutisqve lapillis, ſpacioſiſſimi Inſulæ tractus obducti ſunt. Areæ vero cinericiæ, qvæ ſaxeta illa liqvefacta (Diſc. Præl. §. X. & En. Hiſt. §. XI.), crebro diſtingvunt, alvei olim fuerunt liqvefactæ materiæ. Præter planities rubras & nigras, in Montanis Islandiæ, Albæ, ſæpius occur-

currunt, qvæ, licet vulgo non obſervatum ſit, albis pumicibus contritis (En. Hiſt. §. XII.) ſuperinductæ ſunt.

§. XIV.

Paſſim, in locis Islandiæ humilioribus, Thermæ & Fontes æſtuantes ebulliunt, &, pro terræ, in qva ſcaturiunt, diverſitate, diverſam naturam induunt; qvidam ſalſi & Aluminati, Sulphurati alii. Tanto complures fervore aguntur, ut non ſolum injecta qvævis, in ahenis, cibaria, brevi percoqvant, sed & oſſa duriſsima, ut Eqvorum & Boum, calcinent. Thermarum Situs & Natura.

CAPUT SECUNDUM.
DE
QVADRANTIS AUSTRALIS NATURA ET CONSTITUTIONE.
MEMBRUM PRIMUM.
DE
QVADRANTIS AUSTRALIS MONTIBUS & SALEBRIS.

§. XV.

Hic Qvadrans terminatur verſus Orientem (c) Amne Jökuls-a; Qvadrantis Auſtralis termini.

 ver-

(c) vid. Landnama Bok. Part. 4. Cap. 13.

versus Boream Jugis Montium Mediterraneis (§. V.); Occidentem vero, Flumine Hvijt-a (d) i Borgar-fyrde.

§. XVI.

Ad hujus partis litus appulit (e) Ingolfus, primus Incola & plures alii, ex Norvagis, qvi in illo sedes fixerunt, &, cum multa invenerint Ignis Eruptionum signa, Fontesqve calidos, locis inde nomina indiderunt, qvæ hodie retinent.

§. XVII.

Montium Natura.

Montes sunt in Australi Islandia maximi, nivei permulti, qvos Ignem genuisse, non tantum exusta saxa & cineres, qvibus tam ipsi horrent, qvam circumjacentes terræ (§. IX. & XIII.), sed &, qvam nacti sunt; Figura inordinata (§. IV.), dilucide ostendunt.

§. XVIII.

In specie Skialdbredi Montis.

Unum Montem, exempli causa, afferam, qvi, ab umbonis similitudi-

(d) Landn. B. Part. 1. Cap. 30. &c.
(e) Landn. Saga Part. 1. Cap. 6. Schedæ Ara Prests Froda Cap. 1.

dine (f) Skialld-breydur vocatur. Hic enatus eft, in magna qvadam eruptione Ignis, in ipfo loco, in qvo terra egreffus eft (Difc. Præl. §. XI.) Ambitus Montis, vix biduano itinere abfolvitur; Acclivitas autem, qvæ minime ardua, in fphæricam verruculam pedetentim contrahitur, non fecus ac ingens Saxorum cinerumqve acervus, prætereuntibus apparet. Præter Skialdbredum, Montes Nivofi, ut altiffimi (En. Hift. §. IX.), ita clariffimi funt enati: Verfus Occidentem (g) Geytlands-Jøkull; verfus Orientem, in Tesqvis Kial-vege, (h) Bla-fell, & (i) Eya-fialla-Jøkull; Ignivomus Mons Hekla, olim, Hekla-fell, Ignobilis, hodie clariffimus.

(f) Sagan af Grettir Afmundarfyne Sterka Cap. 59. & Sagan af Barde Dumbsfyne Snæfells-as, Cap. 9.

(g) Landnama-Saga, Part. 1. Cap. 21. & Part. 2. C. 1. vid. & Grettis-Saga cap. 59. & Bardar-Saga Cap. 9.

(h) Saga Bardar Snæfells-afs, cap. 9.

(i) Landnama-Saga Part. 1. Cap. 16. & Sagan ap Niale Þorgefts-fyne, Capp. 116. 119. 133. & 137.

§. XIX.

Salebræ ab Igne productæ. Circa montes Australis Qvadrantis, tam Skialdbredum (§. XVIII.) qvam alios, salebræ jacent vastissimæ, qvæ, prius qvam Islandia habitari cœpta est, enatæ sunt. Harum dimidia pars, non Australi, sed Boreali Islandiæ annumeratur. Ruri notissimæ salebræ, sunt seqventes. Prope Fluvium Hvijt-a (§. XV.) (k) Hraun & Hrauns-as, prædium. (l) Hraun a Skeidum, non longe ab Episcopali sede, Schalholtiis; & in litore, ut nomina (m) Hrauns-holts-lækur, (n) Hvassa-Hraun, (o) Hrauns-lækur, (p) & Hraun-gerde, indigitant. Vastissimus salebrarum tractus, in Montanis Mediterraneis incipit, excurritqve ad Forum generale, vulgo al-þing, ubi

(k) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 1. & Part. 1. Cap. 21.

(l) Landn. Saga Part. 5. Cap. 8.

(m) & (n) Landn. Saga Part. 5. Cap. 14.

(o) Landn. Saga Part. 5. Cap. 16. & Floa-mana-Saga Cap. 6.

(p) Landn. Saga Part. 1. Cap. 17. Floa-mana-Saga Cap. 21.

ubi (q) Ping=valla=Hraun, appellatur.

§. XX.

Notæ ſunt præterea in hac parte ſylvoſæ montium ruinæ (r) Raudu-ſtridur, a rubris cineribus denominatæ. Plures qvoqve ſunt, in hoc Qvadrante ſalebrarum tractus, qvi poſtea enati ſunt; ut circa Heclam (§. XVIII.). In Paroecia Olveſe; (s) Purrar=Hraun. In Promontorio Auſtrali Kialarneſe, (t) Nia-Hraun &c. Tamen hic notandum eſt, multo plures adeſſe ſalebras, qvæ Antiqvitates noſtræ non memorant, occaſione non data, & tamen exortæ ſunt ante detectam Islandiam, tam in hac parte qvam in cæteris.

(q) Nials=Saga Cap. 133. Confer. Kriſtendoms=Saga Cap. 11. & Sagan af Olafe Konge Triggvaſyne Part. 2. Cap. 67.

(r) vid. Nials=Saga Cap. 32. & 84.

(s) Kriſtendoms=Saga Cap. 11. & Olafs Triggvaſonar=Saga Part. 2. c. 67.

(t) Kialneſinga=Saga Cap. 2. & 8.

MEMBRUM SECUNDUM,

DE

HIATIBUS IN SALEBRIS THINGVALLENSIBUS.

§. XXI.

Hiatus Almanna-Gia.

Ab aliis Insulæ Aspretis secernunt Ping-valla-Hraun (§. XIX.), Hiatus illi vastissimi, qvi in illis freqventer occurrunt. Horum notissimus est Almanna-gia, non longe a conventu generali Al-pinge. Ab occasu in ortum, rupes salebræ diducunt, per unum fere Milliare Germanicum. Latitudo, ubi maxima Triginta passus explet. In imis terræ visceribus incipit dehiscere, præruptis Saxis, nisi e regione conventus loci, ubi hiatus terra inferius, posterius accreta, effertus est.

§. XXII.

Hiatus Hrafna-Gia.

Secundum illum seqvitur Aqvilonem versus, Hrafna-Gia, ab occasu in ortum similiter exporrectus, prope deruptos Montes Hrafna-Biaurg (e qvibus procul dubio, totum saxetum Ping-valla-Hraun (§. XIX. & XXI.) Ignis, evomuit,) maxime dehiscit, non tamen tanta latitudine, ut (u) Almanna-Gia (§. XXI.), versus Tesqa Ling-dals-Heyde, duorum Milliarium Germani-

(u) vid. Niáls-Saga Cap. 125. 133-135.

nicorum longitudine, profunditate autem inexplorabili excurrit. Prædium (x) Gia=backe, ex hoc hiatu, in cujus situm est crepidine, sortitum est nomen.

§. XXIII.

Ambos hiatus (§. XXI. & XXII.) multi alii interjacent, id qvod mirum est, omnes inter se paralleli. Hinc in Insigni qvodam terræ motu (Disc. Præl. §. VIII.) simul omnes ortos fuisse nullus dubito, sed postea qvam salebras eructavit Ignis, alias enim repleti fuissent & obruti ejus ejectamentis. Hiatuum Ortus.

§. XXIV.

Hanc meam sententiam confirmat immensa illa aqvarum copia, qvæ sub hoc universo stagnat tractu; non enim solum videri potest, in multis hiatibus, sed &, si visus impediatur, demisso lapide, audiri aqva, qvæ, cum Lacu Insulæ maximo, Ping=valla=vatne, jungitur. Pari modo hunc lacum, qvi octo ad Novem Milliaria Danica est, in circuitu, in eodem motu terræ ortum esse opinor; Lacus Ping-valla Vatn, ejus natura & origo

(x) Sagan af Herdi oc heim Holmveria Cap. 10.

nor; nam universus salebrarum tractus, in lacum, cum hiatibus, pronus declinat. Hic idcirco in principio terra fuit, subtus autem vastæ cavitates aqva repletæ, constiterunt, qvæ, desidente in concussionibus tractu, emerserunt (Disc. Præl. §. VIII.) Accedit qvod duorum montium cacumina, extra aqvam hodie supereemineant; Nesia-Ey & Sand-Ey, qvæ combustis cineribus rubris & nigris, saxisqve in Igne inversis (Disc. Præl. §. X. & En. Hist. §. X. & XIII.), æqve ac omnes circum nati montes, constant.

MEMBRUM TERTIUM.
DE FONTIBUS ET RIVIS CALENTIBUS IN QVADRANTE AUSTRALI.

§. XXV.

Plures in hac parte Fontes calidos, offendisse veteres, nomina locorum propria significant, qvæ, vel de Mephite & calidisqve terræ exhalationibus, (Reykium), & Balneis (Laugum), vel calore terræ, (Varma), desumta sunt. Sed tot tantasqve mutationes, in Ignis eruptionibus & Qvassationibus terræ, subiit hæc regio,

gio, ut certe hodie dignosci neqveant, antiqvis, novæ.

§. XXVI.

In Nomarchia Borgar-Fiardar-Sislu, apud flumen Hvit-a, (§. XV. & XIX.) hodie notissimæ Thermæ (y) Reykholts-Laugar, veteribus usitatissimæ, qvas celebris Historicus, Snorro Sturlæus, seculo Decimo Tertio, amplificavit, ita ut centum Hominum capaces sint, ornavitqve muro & canali Lateritio, qvi aqvam calentem adveheret. Uterqve hodie visitur. Sitæ sunt hæ thermæ, in valle (z) Nyrdre-Reykia-dal, qvæ multis præterea Fontibus scatet. Huic collateralis (aa) Sydre-Reykia-dalur, vallis fontibus fervidis abundans: hic est (bb) Krof-

Thermæ Reyk-holtianæ, &c.

(y) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 3. & 11. & Kristendoms-Saga Cap. 11. 13.
(z) & (aa) Landn. Saga Part. 1. Cap. 20. 21. Sagan af Herþe Holmveria Kappa Cap. 1. 2. & 22. Hænsna-Poris-Saga Cap. 9. & 13, Niala Cap. 2. 8. & 12.
(bb) Kristendoms-Saga Cap. 11. & Sagan af Olafe Konge Triggvasyne Part. 2. Cap. 67.

Kroß-Laug, balneæ limpidæ & salubres, in qvibus Anno Christi Millesimo, Islandiæ Occidentalis Incolæ, abominantes aqvam frigidam, sacro Baptismate abluti sunt, unde Balneis Crucis nomen erat impositum. In hac qvoqve Nomarchia situs est (cc) Varme-lækur, calens rivus, cum prædio ejusdem nominis.

§. XXVII.

Thermæ Sudurnesiex. In promontoriis Sudur-nesium, plurium Thermarum mentionem faciunt antiqvæ Historiæ. Prædium (dd) Laugarnes, a propinqvis balneis denominatum est. Submissæ, præacuto monti Esiu-fialle & Laugar-Gnypu, (ee) Balneæ amœnissimæ a veteribus describuntur. Item prope sinum (ff) Kolla-fiørd, Kolla-fiardar-Laug. Magnum istud promontorium (gg) Reyka-nes (§. (§. VII.)

(cc) vid. Landnama-Saga Part. 1. C.20.
(dd) Nials-Saga Cap. 11. & 14.
(ee) & (ff) Sagan af Bua Esiu-Fostra Cap. 3. 5. 7. & 8.
(gg) Ladnama-Saga Part. 1. Cap. 18. & Part. 5. Cap. 14. conf. Pornesinga-Saga Cap. 4. & Olafs Saga Triggvasonar Part. 2. Cap. 61.

(§. VII.), & (hh) Reykia-Vijk, ſedes primi Islandiæ Incolæ, Ingolfi (§. XVI.) & poſterorum ejus, a calidis aqvarum evaporationibus, nomina traxerunt.

§. XXVIII.

In Nomarchia Arneſ-Siſlu innumeræ fere thermæ, ut in Parœcia Olveſe (§. XX.) Amnis calidus, (ii) Varm-a, prope exuſtum Monticulum, (kk) Ingolfs-Fell, in cujus ſummitate, hodie, Ingolfi (§. XVI. & XXVII.) tumulus, Ducentarum Orgyjarum, in circuitu, viſitur. (ll) Vellande-Køtlur, ebullientes cacabi, prope lacum Ping-valla-Vatn (§. XXIV.), antiqvis (mm) Øl-Foſ-vatn, & Prædium, (nn) Gia-backa (§. XXII.), a pleris- Thermæ Arneſicæ.

C qve

(hh) Landnama-Saga Part. 1. Cap. 8. Schedæ Ara-Preſts-Froda Cap. 1. Holmveria-Saga Cap. 8.
(ii) Landnama-Saga Part. 5. Cap. 13.
(kk) Landn. Saga Part. 1. Cap. 7.
(ll) Kriſtendoms-Saga Cap. 11. Schedæ Ara Preſts Froda Cap. 7. Olafs Triggvaſonar-Saga Part. 2. Cap. 67.
(mm) Landn. Saga Part. Cap. 8. confer. loca citata ſub Lit. (L).
(nn) af Niale Porgeſtsſyne Cap. 96.

qve thermis accenſentur, qvas nunqvam hic exſtitiſſe, nec, propter ſalebroſæ terræ cavernoſitatem exiſtere potuiſſe, exiſtimo. Ad aqvam vero frigidam, qvæ in parva qvadam lacus inclinatione, e cavernoſo fundo ebullit, nomen Vellande-Køtlur majori jure referuntur.

§. XXIX.

In eadem nomarchia, prope Teſqva Lingdalica (§. XXII.), ſita eſt (oo) Laugar-dalur, Balnearum vallis. Hic clariſſimum prædium Reyker & (pp) Reykia-laug, Thermæ, in qvibus, ſimiliter ac in Kroſlaug (§. XXVI.), Anno Milleſimo, Islandiæ Auſtralis, Orientalis & Septentrionalis, Incolæ, converſi ad religionem Chriſtianam, baptizati ſunt. Abhinc non longe (qq) Lauga-vatn, Balnearum lacus. Prædia, (rr) Reyker, in Parœcia, Biſkups-Tungum & (ss) Reyker, in Parœcia,

(oo) Landnama-Saga Part. 5. Cap. 12. Hardar-Saga Cap. 9. & 10. Schedæ Ara Preſts Froda Cap. 6.
(pp) Kriſtendoms-Saga Cap. 11. & Olafs Saga Triggvaſonar Part. 2. c. 67.
(qq)(rr)(ss) Nials-Saga cap. 124. & 116.

cia, Skeydum, a calidis Fontibus, nomen invenerunt.

§. XXX.

Thermæ & calentes aqvæ, tam in hoc Qvadrante Islandiæ, qvam in cæteris omnibus, enumerantur, ad ostendendum Insulam, non hodie modo, sed etiam in primis temporibus, connata, intrinsecus ignita materia (Disc. Præl. §. I. & II.), scatuisse, idqve in illis præsertim locis, qvæ evidenter ab Igne sunt extuberata, (Disc. Præl. §. XII. & XIV.) Thermæ qvare enumerentur.

CAPUT TERTIUM.
DE
QVADRANTIS ORIENTALIS NATURA ET CONSTITUTIONE.

MEMBRUM PRIMUM.
DE
QVADRANTIS ORIENTALIS MONTIBUS ET SALEBRIS.

§. XXXI.

Ut in proxime antecedenti capite monstratum est, Australem Islandiam, Montibus exustis & ab Igne productis, usqve qvaqve efferri, salebris horrere egestitiis, Thermis Qvadrantis Orientalis termini.

 sca-

ſcaturire, ita, ut inibi Vulcanum ipſum ſuam primo officinam, inſtituiſſe crederes: Sic in præſenti capite monſtrabitur, qvod Orientalis terra eodem prorſus modo exorta ſit, ſimilemqve Naturam & Conſtitutionem habeat.

§. XXXII.

Montium Orientalium Situs.

E vaſta illa catena montium, qvi in umbilico Islandiæ eminent (§.V.), verſus Orientem porrigitur immanis Montium tractus, qvorum cum apices, perpetua obtegantur glacie, Auſtur-Jøkla Islandi appellant, qviqve Qvadrantem Orientalem & Aqvilonarem disterminant. Incipiunt cum Eya-fialla-Jøkle (§. XVIII.), & deniqve, qvaſi lunato flexu, in Promontorium longum, ſive (a) Langa-nes (§. VIII.) deſinunt, ubi per Tesqva (b) Helkun-du-Heyde, Diœceſes & Qvadrantes diſtingvuntur.

§. XXXIII.

Eorum ortus atqve conſtitutio

Univerſa montium Orientalium juga, qvondam egiſſiſſe Ignem, Atra-

(a) Landnama-Bokar Part. 1. Cap. 1.
(b) Landnama-Bokar Part. 4. Cap. 1.

Atratæ & male cohærentes rupes indicant, qvæ, ſine ullo ordine coacervatæ, ſæpe corruunt. Pumicum cinerumqve hic immenſa adeſt copia (Diſc. Præl. §. X.) qvorum magna pars poſtea eructata fertiliſſima ſubmiſſæ terræ ſpacia operuit, qvæ hodie (c) Sol-heima-Sandur, Lomagnups-Sandur, & Breyda-merkur-Sandur, appellantur. Nam e pluribus Jöklis, ſive Nivoſis montibus erupit Ignis, qvales ſunt: Oræfa-Jøkull, Sol-heima-Jøkull, Knappa-fells-Jøkull & Mir-dals-Jøkull.

§. XXXIV.

Aſpreta, qvæ in hac parte, priusqvam habitabatur, Ignis produxit, & qvorum mentionem noſtra monumenta injiciunt, notiſſima ſunt Seqventia: In Nomarchia, Skapta-fells-Siſlu, & Territorio Medal-lande, Paluſtri loco, Kringlu-Miire, (d) Saxeta Ejectitia circumjacent. (e) Alpta-verenſes Salebræ poſt- Aſpreta Skapta fellica.

(c) Landnama-Saga Part. 4. Cap. 5., & Nials-Saga Cap. 116.
(d) Nials-Saga Cap. 139.
(e) Landnama-Saga Part. 4. Cap. 12.

postea enatæ sunt. Non longe a cœnobio, Kyrkiu-bæ, jacet Salebrosus tractus (f) Bødmods-Hraun, a Bödmodo, primo vicinæ terræ occupatore denominatus.

§. XXXV.

Aspreta Mulica, Ruralia. Nomarchia Mula-Sysla aspretis vastissimis obriget. Ruri propinqviora sunt (g) Ørar-Hraun, (h) Fliots dals-heydar-Hraun & (i) Svidin-horna-Hraun, qvod vallem Fliots-dal, & sinum Alptafiørd, interjacet. Hoc Saxetum, primi hujus terræ Incolæ, Svidenhornii nomine insignitum, ambitu suo 12 Milliaria Danica explet, ægre pervium transeuntibus.

§. XXXVI.

Aspreta Mulica Montana. Sunt in montanis Orientalibus, salebræ, totius Insulæ facile spaciosissimæ, O-dada-Hraun, qvæ in latitudinem, per transversum Montium dorsum (§.XXXII.) sese explicant,

(f) Landnama-Saga Part. 4. Cap. 11.
(g) vide Niala Cap. 122.
(h) Sagan af Rafn-Karle Freis-Goda Cap. 8.
(i) Landnama-Saga Part. 4. Cap. 7. & Niala Cap. 1226.

cant, viginti Milliarium Danicorum ſpatio, adusqve terminos Septentrionales; in longitudinem vero per Qvadraginta, circiter, Milliaria verſus auſtrales montes projectæ ſunt. Maxima earum pars, ante inhabitationem exorta eſt, qvod montes & colles, qvibus efferuntur, cineritii, indigitant (Diſc. Præl. §. XI.) O-dadahraunum, Deſerta, Oræſe κατ᾽ ἐξοχὴν dicta, ab Oriente excipiunt, ſaxis paſſim, liqvefactis (Diſc. Præl. §. X. & En. Hiſt. §. XI.), exaſperata. Tota hæc vaſtities freqvens eſt, exuſtis montibus, inter qvos notiſſimus eſt Herda-breydur, poſtea Ignivomus, qvi ab Humeri ſimilitudine, nomen obtinuit. Ab hinc non longe ſitus eſt Lacus, itidem Ignivomus, Trølla-dingiur, Gigantum acervi, a collibus ita dictus, cineritiis, qvi in illo, atqve circa illum, eminent. In his qvoqve Montanis jacent Teſqva (k) Mødru-dals-Heyde, Saxis & rupibus egeſtitiis, confragoſa.

 MEM-

(k) vid. Sagan af Porſteine Hvijta cap. 3.

MEMBRUM SECUNDUM. DE QVADRANTIS ORIENTALIS THERMIS ET AMNIBUS SULPHURATIS.

§. XXXVII.

Flumina Sulphurata.

De Aqvis Ferventibus, in hac Insulæ plaga, non multa sciverunt primi Islandi, nec sciunt hodierni. Unicus tantum locus, (qvoád mihi notum est) hic existit, in Nomarchia Mula-Sislu; vallis nimirum (l) Rafnkels-dalur, nunc (terræ motu, ut ratio svadet), deserta. Hic olim situm erat prædium Adal-bol, & brevi, ab illo, spacio, Laugarhus, balnearum domus. In hac valle hodie supersunt Thermæ amænissimæ.

§. XXXVIII.

Qvadrans tamen Orientalis, hoc, præ cæteris, singulare habet, qvod ejus Flumina nobilissima, tam gravem, ut eum viatores, ab aqva, unius Milliaris Germanici intervallo distantes, sentiant, juxta vix tolerabilem, Fœtorem sulphuris emittant.

(k) vid. Landnama-Saga Part. 4. Cap. 5 & 13.

tant. Duo horum Fluminum, Jøkuls-a, a Sol-heima-Sande & Jøkuls-a, a Breyda-merkur-Sande (§. XXXIII.), transeuntes, tali præ primis graveolentia, vexant. Hinc qvoqve (m) prius flumen, Fula-lækt, Fœtentem Rivum, dicebant veteres.

§. XXXIX.

Liqvet hinc totum hunc montium tractum esse & fuisse sulphurosum, non enim in montibus tantum, sed & in submissis desertis (§. XXXIII.) integræ sulphuris glebæ occurunt, qvas e penitissimis montium recessibus, aqva secum rapuit. Cum vero continuo, Amnes, in mare sulphur, devehant, & id absqve minima intermissione vel deminutione notabili, ecqvis difficulter perspiciet, qvam fuerit effrænata Ignis rabies, qvi in principio tam immensum sulphur, congessit? Montes interius Sulphurosi

(m) vid. Landnama-Saga Part. 4. Cap. 5. & 13.

CAPUT QVARTUM.
DE QVADRANTIS BOREALIS NATURA ET CONSTITUTIONE.
MEMBRUM PRIMUM.
DE QVADRANTIS BOREALIS MONTIBUS & SALEBRIS.

§. XL.

Qvadrantis Borealis Termini.

Hæc Islandiæ pars, qvæ verſus Occidentem terminatur amne Hruta-fiardar-a, & ſinu (a) Hruta-fyrde, in qvem decurrit, cum Qvadrantibus Auſtrali & Orientali, ſimul ſumtis, unum acervum conſtituit. Juga enim montium continua (§. V.) qvæ mediam Islandiam dividunt, Aqvilonari plagæ, tanto jure, ut Auſtrali & Orientali, accenſentur.

§. XLI.

Teſqva celeberrima, eorumqve Natura.

Partem idcirco dimidiam, montuoſi illius dorſi, (§. V.) Boreali plagæ adſcribere convenit. Hoc dorſum, æqve ac ab Auſtrali & Orientali latere (§. XVII. & XXXIII.), ita ab hoc, ſurgit gradatim, egeſtitiis &

(a) vid. Landnama-Saga Part. 3. Cap. 2. conf. Vatns-dæla-Saga Cap. 5.

& exuſtis montium Articulis, qvibus aſpreta & cineres crebo interſternuntur. Prima hic deſerta Ør-æfe & Ø-dada-Hraun, cum ſuis montibus occurrunt (v. §. XXXVI.). In ſpecie noti ſunt in hoc dorſo, exuſti montes, ut inter Nomarchiam Ding eyar-Syſlu & Skaptafells-Siſlu, (§. XXXIV.), per qvos anguſtum iter (b) Vonar-Skørd & Bardar-Gata, ab antiqvis inventum eſt. Freqventiſſime autem Islandi, tam ex Nomarchia, Skaga-fiardar vel Hegra-neſ-Siſlu, qvam ex Huna-vatns-Siſlu, per Teſqva (c) Kiøl vel Kial-veg, & (d) Sand, in Auſtralem plagam iter faciunt. Teſqva Kial-vegur, enatis undiqve montibus efferuntur, horrentqve (e) Kial-Hraune, Saxeto patentiſſimo. Sanduren autem maxi-

(b) Landnama-Saga Part. 3. Cap. 18. & Part. 4. Cap. 10.

(c) Landnam. Saga Part. 3. Cap. 7. & 8. Confer. Sagan af Grettet Aſmundar-ſyne Sterka Cap. 54. & 56.

(d) Landnam. Saga Part. 3. Cap. 8. & Niala Cap. 119.

(e) Landnama-Saga Part. 3. Cap. 7.

maxime combustis lapillis, comminutisqve pumicibus (§.XIII.) obrutus est. Similiter Tesqva longissima (f) Arnar-vatns-Heyde & (g) Tvii-dægra, per qvæ, e Nomarchia Huna-vatns-Sislu, in sinum Borgar-Fiørd, iter dirigitur, Montibus, collibus & saxis ejectitiis horrent. Summa: Universa montana, qvæ Viginti, Triginta, & ulterius, Milliaria Danica, lata sunt, tam a ex illa parte, qvæ Australi, qvam ex ea, qvæ Orientali, & Septentrionali, adversa est, Igni suam debent Originem.

§. XLII.

Aspreta Thing eyensia.

In Terra Septentrionali, qva habitata est, non minora nec pauciora apparent vestigia Ignis sævitiæ, in specie, in Nomarchia Ping-eya-Sislu. Longissime hic ver-

(f) Sagan af Hørde-Holm veria Kappa Cap. 33. Sagan af Olafe Konge Triggva-syne Part. 2. Cap. 98. Sagan af Grettere Sterka Cap. 55.
(g) Sagan af Grettere Sterka Cap. 18. & 49.

versus Orientis fines, in Paroecia (h) Mel-racka-Slettu, a vicinis Salebris, portui (i) Hraun-Høfn, nomen est impositum. Præterea, exusti enatiqve montes, (k) Raudu-Skridur; á rubeo colore cinerum (§. XIII.), denominati sunt. Circa lacum Ignivomum (l) Mii-Vatn, montes sunt exusti, Krafla, Leirhnukur & alii, qvi Ignivomi postea, universam viciniam & Parœciam Greniadar-stadar-Sokn, liqvefacta materia (Discur. s. Præl. §. X. & En. Hist. §. XI.) superfuderunt. Sed ante qvam habitata est hæc regio, et-

(h) Sagan af Þorsteine Hviita Cap. 2. conf. Sagan af Hallfrede Vandræda Skallde. & Sagan af Olafe Triggvasyne in Appendice.
(i) Landnama-Saga Part. 3. Cap. 20. & Sagan af Rafne og Gunnlauge Orms-tungu pag. (mihi) 28.
(k) (l) Landnama-Saga Part. 3. Cap. 20. & Sagan af Vemunde og Viga-Skutu Cap. 1.
(m) Landnama-Saga Part. 3. Cap. 20. conf. Viiga-Glums-Saga Cap. 9. & 10. & Sagan af Vemunde og Viga-Skutu Cap. 1. 10. &c.

etiam enatas fuisse salebras, certum est, tam ex duobus illis (n) scopulis, in ipso lacu, qvam ex Tesqvorum (o) Hrauna-Heyde & prædii (p) Hrauns-Aß, appellationibus.

§. XLIII.

Nomarchia Dadla-Sysla, etiamsi Hraunis non scabrata sit, tamen exustis gaudet montibus, inter qvos notissima sunt promontoria (q) Reine-nes & Siglu-nes, qvæ sinum, Eya-Fiörd constituunt.

Aspreta Skaga-fiordica. Parimodo, Montes in Nomarchia Hegra-neß-Syslu, qvi Mediterraneis non connectuntur, grassantis olim Ignis, signa præ se ferunt evidentissima. Ejus generis est Nivosus ille mons in Tesqvis (r) Hialltadals-Heyde, & Tinda-stoll, Maritimus, in qvo diversissima terrarum genera, commixta reperiuntur.

(n) Viga-Skutu-Saga Cap. 21. & 22.
(o) Landnama-Saga Part. 3. Cap. 19.
(p) Vemundar-Saga og Viga-Skutu Cap. 2.
(q) Landnama-Saga Part. 3. Cap. 12. & Sagan af Barde Snæ-fells-Aß Cap. 9. Olafs-Saga Part. 2. Cap. 11. & 66.
(r) Landnama Saga Part. 3, Cap. 10.

tur. Hic etiam ſunt ſalebræ per antiqvæ, a qvibus villæ, qvæ a Hraunum dicitur, appellatio deſumta eſt.

§. XLIV.

Nomarchia Huna-vatns-Sysla, effertur montibus, qvi, ſitu ſuo inordinato, nec non nigredine fuliginoſa, priſtini incendii vires denotant. Non prætermittendum eſt Promontorium (s) Vatns-nes, cujus derupta & in ſe pendentia ſaxa, tantum ignis furorem ſuſtinuerunt, ut propria ruentes mole, in minutiſſimos lapides disſiliant. Aſpseta Huna-vatnica.

MEMBRUM SECUNDUM.
DE
QVADRANTIS BOREALIS THERMIS & BALNEIS.

§. XLV.

Plures in hac parte Islandiæ, Thermas & Balneas, primi Incolæ invenerunt. Nomarchia Ping-eyar-Sysla, ut Ignis furores maxime experta eſt, (§. XLII.), ita Fontes calentes magno numero, Scaturivit, Hoc Thermæ Thingeyenſes.

(s) Landnama-Saga Part. 3. Cap. 1. & Vorneſinga-Saga Cap. 60.

Hoc ostendit vallis (a) Reykia-dalur, in qva situm est prædium (b) Reikia-Hlijd & Balneæ (c) Litlu-og Storu-Laugar. In (d) Liosa-vatns-Skarde, balneæ antiqvis notæ. Tesqva immania (e) Reykia-Heyde, & (f) Reykia-hverfi, (ubi hodie Reykia-Laugar & maxime Fons, fervore exæstuans, Uxa-Hver, celebrantur), a Thermarum ex halationibus denominantur.

§. XLVI.

Thermæ vadlenses. In Nomarchia Eyafiordica, vulgo Vadla-Syslu, mentio fit in nostris an-

(a) Landnama-Saga Part. 3. Cap. 19. & Viga-Skutu-Saga Cap. 29. Kristendoms-Saga Cap. 1. Bardar-Saga, Snæ-fells-aß Cap. 4.
(b) Landn. Saga Part. 3. Cap. 20. conf. Viga-Skutu-Saga Cap. 17.
(c) Sagan af Vemunde og Viga-Skutu Cap. 1 & 29.
(d) Sagan af Vemunde og Viga-Skutu Cap. 11 & 13.
(e) Sagan af Grettir Asmundar-Syne Cap. 61.
(f) Sagan af Thorgeire Lios-Vetninge og Gudmunde Rijka Cap. 6. & 10. Vemundar-Saga Cap. 6. Grettirs-Saga Cap. 61.

antiqvitatibus thermarum complurium, qvæ Ignitam ſubtus fuiſſe materiam indicant. Ad ſinum Eya-fiørd anteriorem, prope Flumen Eya-fiardar-á, hodie Thermæ (g) Kriſt-neſs-laugar, notæ, qvas ad balneas (h) Hrafna-gils-laugar, antiqvitati uſitatiſſimas, Veteres retuliſſe puto. Altrinſecus, ad eundem fluvium, e regione prædii Stocka-hladir, cœnobium nobiliſſimum Muka-þver-a, in cujus vicinia balneæ (i) Muka-þver-ar-laugar & vallis (k) Laugar-dalur, memorantur. Præterea mentio fit balnearum, in valle Hørgar-dal, prædio (l) Lauga-lande.

§. XLVII.

In Nom. Skaga-fiardar-ſyſlu, hodie commendantur balneæ Reykia-laug, prope prædium Reyke, in valle Hiallta-dal, non longe ab Epi- Thermæ Vadlenſes.

D

(g) (h) Viga-Glums-Saga Cap. 1. 10. 19. 24.
(i) (k) Sagan af Vemunde og Viga-Skutu Cap. 16. Viga-Glums-Saga Cap. 1. 10. 19. 24.
(l) Sagan af Vemunde og Viga-Skutu Cap. 13.

Episcopali sede, Holum, de qvibus nihil inveni. Sed prædium (m) Laugar-brecka, (n) Reykia-hvoll & Reykia-a, balneæ Valla-laug (o) apud Forum Veterum Hegranes-Ding, (p) Reiker, Reykianes & Reykia-laug, in parœcia Reykia-Strønd, atqve (q) Reykiar-Skard, montana via, inter Nomarchiam Skaga-Fiordicam & Hunavatnicam, olim erant notissima.

§. XLVIII.

Thermæ Huna-vatnicæ.

In Nomarchia Huna-vatns-syslu, ad sinum Mid-fiørd, Thermæ sunt, ut nomen prædii (r) Reyker, indicat, ubi habitabat vir strenuissimus, Mid-fiardar-Skegge, qvi Hrolfii Kraka, Danorum Regis, in Siolandia Tumulum ingressus, optimum

(m) Vorne singa-Saga Cap. 64.
(n) Landnama-Saga, Part. 3. Cap. 11.
(o) Lios-vetninga-Saga Cap. 25.
(p) Sagan af Grettir Asmundar-syne Sterka Cap. 67.
(q) Gretla Cap. 64.
(r) Landnama-Saga Part. 3. Cap. 1. Kormaks-Saga Cap. 6 & 8. Olafs Triggvasonar-Saga Part. 1. cap. 168. Bardar-Saga Cap. 6. 11. & 13.

mum gladium, Skofnung, asportavit. Hic (s) balneæ, humanis usibus accommodatæ, a Veteribus freqventabantur, qvibus (t) Laugarsit, amœna planities, circumjacet.

CAPUT QVINTUM.
DE
QVADRANTIS OCCIDENTALIS NATURA ET CONSTITUTIONE.

MEMBRUM PRIMUM.
DE
QVADRANTIS OCCIDENTALIS MONTIBUS & SALEBRIS.

§. XLIX.

Hæc Insulæ pars vastissima, qvæ cum sinu Hruta-fyrde incipit (§. XL.) finiturqve Amne Hvita i Borgar-fyrde (§. XV.), qva Argesti opponitur, angusto primum dorso contracta, in terram deinde Montosam sinuosamqve, Vest-fyrde sese explicat (§. VIII.), de qva sigillatim agetur. Qvadrantis Occidentalis Termini.

(s) Sagan af Porde Hredu Cap. 2, 3. 5. & 12.

(t) Sagan af Grettir Sterka Cap. 31.

§. L.

Dividitur hæc terra, in Tres Nomarchias, Stranda-ſyſlu, Iſafiardar-ſyſlu & Barda-ſtrandar-ſyſlu. E catena illa exuſtorum montium mediterranea (§. V.) per Teſca non ſpacioſa (a) Gafl-fells-Heyde, bimaria, (paucorum enim Milliarium intervallo ſinum borealis maris (b) Bitru, a ſinu maris Occidentalis, maximo (c) Breyda-fyrde, diſcludit,) diſcurrunt ramorum inſtar longiſſima Promontoria.

§. LI.

Natura Pen-Inſulæ Veſt-fiordicæ.

Etiamſi in toto hoc tractu, Salebræ non inveniantur, excepto anguſto ſpatio ad ſinum Dira-fiord, in Nomarchia Iſafiordica, â qvo prædium Hraun, & nobilis olim Hraun-Sveinorum familia, nomen traxiſſe videtur, tamen univerſæ Pen-Inſulæ natura & conſtitutio declarat, illam, in ſimili plane revolutione ac

(a) Porneſinga-Saga Cap. 61.
(b) Landnama-Bok Part. 2. Cap. 20. & 32. Kormaks-Saga Cap. 11
(c) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 12. Eyrbiggia Cap. 4.

ac aliis, qvæ terram Islandicam formarunt, protuberasse. Mons enim Glacialis Glama, qvi sua magnitudine, soli Snæfells-Jøkli (§. VII.) cedit coacervatus est, e nigratis æstu saxis, qvorum non raro interstitia, contritis pumicibus & cineribus, differta sunt. Situs est insuper Glama, ex adverso Isthmi (§. V. & L.), in Nomarchia Isafiordica, ubi Peninsula suis se promontoriis exporrigere incipit. Cum jam Glama Mons, in Insigni Ignis evomitione enatus sit, svadet ratio, Ignitæ materiæ, magnum sublatuisse penuarium, ex qvo Ignis, qvasi radiatus, proserpsit, formavitqve suis eruptionibus Promontoria, Glamam autem deniqve in medio.

§. LII.

Hanc rem optime enodat Promontoriorum forma & exusta facies. Nam omnia a Glama excurrunt, æqvali prominentia, æqvalique altitudine, qva, acervi instar harenacei, in apicem præacutum deficiunt. Constant cineribus, & lapidibus in incendio dissolutis, minori saxorum

In Specie Promontoriorum.

compage, unde, nutantes, ut male ſtatuminatæ, perſæpe corruerunt moles, obviaqve ædificia ſuperobruerunt.

§. LIII.

Selebræ curni adſint. Qvod nullæ hic adſint ſalebræ, non mirandum; qvando enim promontoria ſurgunt e mari, ſalebræ, ut liqvefactæ (Diſc. Præl. §. X. & En. Hiſt. §. XI.) in fundum maris, ut humiliorem, defluunt. Plurimæ qvoqve dantur terræ, in qvibus non pauca Islandiæ loca ponenda ſunt, qvæ, cum Ignis ſubterraneus, ejusmodi materia liqvefacta non gaudeat, nullis Hraunis obducuntur.

§. LIV.

Poſſint etiam enatarum regionum ſalebræ, longo temporum ſucceſſu, terra obtegi, qvod ſupra (Diſc. Præl. §. XIII.) monſtratum eſt, & inferius, ſpecialibus in Islandia exemplis monſtrabitur. Accedit ad hoc, qvod præter alia Inſulæ loca (§. III.), valles & litora Veſt-fiordorum, tanta fertilitate gaudeant, ut Grelada, Biartmeri comitis Irlandi Filia, qvæ cum marito ſuo ſinum nomarchiæ

Bar-

Bardastrandicæ; (d) Arnar-fiørd, incoluit, terræ, præ hybernica, bonitatem, admirata sit. Weft-fiordorum fortilibus.

§. LV.

Ipsum mare Breydafiordicum (§. L.), ut ab eâ parte, qva Pen-Insula est opposita, ita reliqva, (e) montibus exustis cingitur. Excipit Nomarchiam, Bardestrandicam, Dala-Sysla, vulgo (f) Breyda-fiardar-daler, Terra amœnissima vel Sola amœna in Islandia. Montes habet inter se parallelos cum vallibus, qvæ solo gaudent roscido rivisqve freqventer irrigatæ, omnifarias herbas proferunt. Montes tamen hujus Nomarchiæ, non sublimes, passim sunt cineritii exustamqve habent faciem. Inter illos Promontorium bifidum (g) Skards-Klofningar, notissimum. Valles Breydafiordicæ.

 §. LVI.

(d) De hoc Landnama-Saga P. 2. c. 26. ita: Þat þotti Grelobo Hunangs-Ilmur ór Grasi. Hoc est: Ibi Greladæ videbatur Gramen, mellis Fragrantia redolere.

(e) Eyr-biggia-Saga Cap. 4.

(f) Nials-Saga Cap. 1.

(g) Landn. Saga Part. 2. Cap. 19. & 20.

§. LVI.

Cum hac vallestri terra montes continuantur, ad Nomarchiam Sna-fells-Syslu & Promontorium ejusdem Nominis (§. VII.), ubi prima occurritParoecia Helga-fells-Sveit, & collis Veteribus Sanctus, (h) Helga-fell, in qvo post mortem se jucundissima vita fruituros esse credebant. In hoc tractu montes sunt omnes, evidenter enati, rubentqve cineribus. Sic (i) Drapu-hlitdar-Fiall, argilla lapidibusqve varie concretis & multicoloris, refertus est. Magna hujus Paroeciæ pars, qva adjacet montibus, salebrosa est, unde (k) Hraun, prædium, (l) Hrauns-fiørdur & (m) Hrauns-os, nuncupata sunt. Clarissimum est aspretum (n) Ber-serkia-Hraun, â duo-

Mons Sanctus.

Aspretum Berserkorum

(h) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 12. confr. Eyr-biggia-Saga Cap. 4.
(i) Landn. Saga Part. 2. Cap. 11. conf. Eyr-biggia-Saga 7. 9. & 27.
(k) (l) (m) Landn. Saga Part. 2. Cap. 10. & 11. & Eyr-biggia-Saga Cap. 14. 27. & 31.
(n) Viga-Stirs-Søgu Fragmentum & Eyr-biggia Cap. 32.

â duobus Fratribus, Berſerkis, ſive giganteo furore valentibus, denominatum, qvorum ſtupenda prorſus laboris herculei veſtigia & Tumuli, hodie, poſt, circiter ſeptingentos ſexaginta Qvinqve Annos, viſuntur. Conjugii enim ſpe allecti, per transverſum Saxetum, in Duorum Milliarium Germanicorum longitudinem, aggerem terminalem jecerunt, viamqve per invia planam reddiderunt, exantlato autem opere ſtructis Inſidiis, ſunt interfecti.

§. LVII.

Similiter montes reliqvi in Sneſfellsneſs, (§. VIII.), litore, enati ſunt, ut (o) Trolla-Hals, Gigantum collis, (p) Kol-grafa-fiall, (q) Kyrkiu-fell, Danis Sukker-Top & (r) Promontorium altiſſimum Bulands-Høfde, in cujus præcipitio, iter eſt anguſtum & periculoſum.

(o) Landnam. Saga Part. 2. Cap. 10. & Eyrbiggia-Saga Cap. 27.
(p) Eyrbiggia-Saga Cap. 60.
(q) Landnam. Saga Part. 2. Cap. 10.
(r) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 9. & præſertim, Eyrbiggia-Saga c. 21 & 45.

§. LVIII.

Promontorii constitutio. Totum Promontorium (s) Snæ-fells-nes, (§. VII.), qvod in longitudinem per Duodecim Milliaria Danica, in latitudinem vero per Duo, Tria, & in qvibusdam locis Qvatuor, extenditur, jugum est perpetuum Montium, qvi surgunt e mari, saxis, sulphurosa fuligine infectis, qvæ Ignis ardore vel soluta sunt vel varie erosa & inversa. In extremitate

Mons Snæfells-Jökull situs est (t) Snæ-fells-Jøkull, omnium Islandiæ montium altissimus, qvi in medio mari Grænlandiam inter & Islandiam, simul ac Hviit-Serkur, Grænlandiæ mons, itidem Glacialis, sudo cœlo conspicitur. Ex hoc monte, ut & universo Promontorio, tanqvam in compendio perlustrari potest, mira, & vix nisi videnti, credibilis, Ignis virtus,

(s)(t) Landnama-Saga Part. 1. Cap. 1. & 2. Cap. 14. Olafs Saga Triggvasonar Part. 2. c. 61. Sagan af Barde Snæ-fælls-Ass Cap. 4. 7. &c. Grænlands-Saga Cap. 1. & Mag. Th. Thorlachii Dissert. de Islandia, Sect. 1. Thes. 4. conf. Sagan af Viglunde Væna Cap. 6 & 7.

tus, in elevando integros montes in tantam altitudinem. Nam per longisſimos Montium Articulos, acclivitate puta, Duorum fere Milliarium Germanicorum longa, aſcendendum eſt, prius qvam ad ipſius, in medio Snæ-fells-Jökli radices, perveniatur. Omnia hic in unum, qvaſi Chaos commixta ſunt, ſaxa exuſta & intorta, harenæ omnicolores, calx & pumices ſubalbi, comminuti (§. XIII.), qvorum hic, qvam alibi, majorem vidi copiam, in colles enim & minora dorſa, non raro aſſurgunt.

§. LIX.

Per montis, ab utroqve latere declivia, continui ſalebrarum tractus, in Profundum maris paſſim decurrunt, ut (u) Sara-hvols-Hraun, (x) Beru-vikur-Hraun, (y) Dranga-Hran, ubi Scopuli in litore altiſſimi (z) Lon-Drangar, Hel- Salebræ Snæfellenſes.

(u) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 8.
(x) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 8. & Biarnar-Saga, Hitdæla-Kappa.
(y)(z) Landn. Saga Part. 2. Cap. 7. conf. Sagan af Bardar Snæfells-as, cap. 7 & 10.

(a) Hellis-hraun, Buda-hraun, non longe ab Emporio, Buder, unde (b) Hrauns-Høfn, & (c) Hrauns-hafnar-os, nunc Budar-os, dicta sunt, & plura alia.

§. LX.

Afpretum Buda-Hraun. Saxetum Buda-Hraun (§.LIX.) fingularem naturam & Conftitutionem fortitum eft, non enim, ut aliæ falebræ, vel inæqvaliter ejectum eft, vel in rivis provolutum, fed unica qvafi caute conftat, olim liqvefacta, qvam incendium, in fuperficie ftriatum, interius multicavum reddidit. Specus intrinfecus concavæ, funt, angufto orificio, trium & fupra, orgyjarum profunditate, edunt odorem gratiffimum, qvia in fundo, herbæ beneolentes egerminant. Collis eft in faxeti medio exuftus, Buda-Klettur, qvem erumpens Ignis, fub incendii finem, formavit (Difc. Præl. §. XI.). Univerfus tractus eandem habet ubiqve altitudinem, mari non multum fuperiorem. Cum jam olim

(a) (b) (c) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 6 & 7. conf. Polnesinga-Saga Cap. 43. 44. & 49. & Sagan af Viglunde væna, Cap. 6.

olim liqvefactus fuerit, ut ejus striæ & cavernæ indicant, hic stagnasse liqvet fluentem materiam, septam, qvæ altior fuit, circumaggesta terra. Præterea, cum salebræ supra mare non multum emineant, seqvitur subternam partem in mari profluxisse. Cum autem ignita fuerit liqvefacta massa, necesse est, Ignis, incluso stimulatus aëre, massam perforaverit. Jam vero mare, naturali sua gravitate, in foramina delabitur; Ignis contra, aqvam vitans, ut levior, ascendit, liqvefactamqve materiam, qvæ adhæc non consistit, aëris beneficio, amplius excavat, donec accrescente aqvarum vi, vel exstingvatur plane, vel foras protrudatur.

§. LXI.

In reliqvo Promontorii dorso, salebræ, montesqve exusti sine numero occurrunt, ut in (a) Tesqvis Frodar-Heyde, (b) Olldu-Hrigg &c.

(a) Eyr-biggia-Saga Cap. 52.
(b) Sagan af Grettir Asmundar-syne Cap. 58.

&c. Prædium (c) Raude-melur, in Nomarchia Knappa-dals-syslu, a cinerum rubore nomen traxit. Hic spaciosus ille salebrarum tractus (d) Borgar-Hraun, ut post habitatam Islandiam enatus, omittitur.

§. LXII.

Aſpreta Miricæ. Nomarchia Miira-Sysla, qva objectu montium clauditur, simili saxorum scabritie, obriget, qvæ vicini dorsi montes egesserunt. Hujus generis sunt (e) salebræ, prope flumen Hitar-a, (f) Sel-Hraun, in valle Hitar-Dal, (g) Stadar-Hraun

(c) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 5. Eyrbiggia-Saga Cap. 56. & Sagan af Rafne og Gunnlauge Orms-tungu, Pag. (mihi) 10.

(d) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 5. Grettla Cap. 58. Sagan af Eygle Skalla-grims syne Cap. 21.

(e) Sagan af Grettir Asmundar-syne Sterka Cap. 58.

(f) Sagan af Byrne Hit-dæla-kappa, in pluribus locis.

(g) Grettirs-Saga Cap. 58. & Biarnar-Saga.

Hraun & (h) Hraun-dals-hraun, in valle Sydre- & ytre-Hraun-Dal, sylvosæ.

§. LXIII.

Hraundalium sinumqve Borgar-fiørd, Montana Tesqva Skards-heyde, unius diei itinere dirimunt. Montes hic exusti omnes, saxetaqve ab Igne eructata, in qvibus geminæ rupes, vulgo Strakar, efferuntur, observatu dignissimæ. Radices illis contiguæ, figura coni æmula, ambitus radicum orgyjas circiter Qvadraginta, Altitudo Viginti explet. Constant saxo in Igne fuso, intusqve tam prope excavato, ut convexitas concavitati plerumqve respondeat. Ubi in apicem deficiunt, angusta dehiscunt apertura, qvæ æqve ac specus Budar-hraunenses (§.LX.) gratum de herbis odorem exspirant. De harum rupium origine idem censendum esse puto, ac de specuum Buda-hraunensium ortu, nimirum qvod Rupes geminæ, Strakar.

(h) Landnama-Saga Part. 2. Cap.. 4. Egla, passim. Sagan af Gunnlauge Orms-tungu og Rafne pag. 45. Grettla Cap. 58.

qvod ignis, in liqvefactæ materiæ profluente (Disc. Præl. §. X. & En. Hist. §. XI.) sublatens, priusqvam constitit massa, recruduerit, extenso aëre imprægnatus, inflatam massam coni figura donaverit, demumqve exierit, per foramen istud verticale. De herbarum, in fundo fragrantium, generatione, idem judicandum est ac de reliqvis subdialibus (§. XIII.). Accedit hic loci natura, qvæ exterioris aëris injuriam prohibendo, fœcunditati est amicissima, herbarumqve odoriferarum effluvia, qvin in aërem evanescant, retinet.

§. LXIV.

Montium Australium & Orientalium connexio.

Porrigitur deinde montium dorsum, ad sinum usqve Borgar-fiørd, ibiqve cum montanis mediterraneis (§. V.), conjungitur. Montibus hic tractus altissimis effertur freqventer nivibus & glacie perpetua, circumgelatis. Inter hos (i) Balld-Jøkull, & (k) Snio-fiøll, plures numero, eminent.

(i) Sagan af Barde Snæ-fells-as, Cap. 9. & Sagan af Grettir Asmundarsyne Sterka Cap. 54 & 56.
(k) Bardar-Saga Cap. 14.

MEMBRUM SECUNDUM.
DE
QVADRANTIS OCCIDENTALIS THERMIS & BALNEIS.

§. LXV.

Ut Qvadrantis Occidentalis ſuperficies, horrendarum, qvæ Ignis cauſatus eſt, revolutionum veſtigia, primis Islandis videnda præbuit, ita calidiorum aqvarum exhalationibus ſignificavit, igneſcentis ſubtus materiæ præſentiam (§. XXX.), deditqve anſam locorum & prædiorum appellationibus.

§. LXVI.

Thermæ Strandenſes & Iſafiordicæ.

Thermis olim gaviſam fuiſſe Nomarchiam Stranda-Syſlu, in Aqvilonari Pen-Inſulæ litore, Promontorium (l) Reykia-nes, & Emporium hodie celebris ſinus (m) Reykiar-Fiørdur, ſuis nominibus indigitant. Idem de Nomarchia Iſafiördicâ, teſtantur duo illa prædia cognominia, Lauga-bol, Balnearum Sedes, (n) unum prope Iſa-Fiørd,

E

(l) (m) Sagan af Grettir Sterka Cap. 10.

(n) Sagan af Havarde Is-fyrdinge Cap. 1. 2. 10. & 11.

Fiørd, finum; alterum in valle (o) Lauga-dal, & Paroecia Ogurs-Sveit.

§. LXVII.

Thermæ Bardastrandicæ.

Pluribus calidis Fontibus Balneisqve fcatuit Nomarchia Bardaftrandica. Hic qvoqve duo prædia Lauga-bol, unum in finu (p) Arnarfyrde (§. LIV.); alterum in (q) Vatns-fyrde. Balneae (r) Reykiar-fiardar-laug, in Paroecia Vatns-fiordica, hodie freqventantur. Valles ad finum Talkna-fiørd, Store- og litle- (s) Laugar-dalur, a vicinis balneis denominatæ funt. Sed præ omnibus jam recenfitis Pen-Infulæ locis, inclytum eft Promontorium (t) Reykia-nes, in

(o) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 29.
(p) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 26.
(q) Grettla cap. 53. Ubi e 5 Exemplaribus m ss: unum Langa-bol, reliqva 4. Lauga-bol habent.
(r) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 26. & Sagan af Rafne Svein Biarnar fyne, pag. (mihi) 66.
(s) Gull-Þoris-Saga cap. 13.
(t) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 22, & 26. Grettis-Saga, cap. 29. & 51.

in qvo ſitum eſt prædium (u) Reyk-holar, ubi Balneæ ſaluberrimæ (x) Reyk-hola-laug, & Reik-hola-hver, Fons æſtuoſus, in qvo, qvævis cibaria repentino decoqvuntur (vid. §. XIV.)

§. LXVIII.

In hac Inſulæ parte, plures calentes aqvas, hic exiſtere nec unqvam extitiſſe ſcio, præter Balneas, in Nomarchia Dala-Syſlu, & valle Sælings-dal, prope Prædium Tungu. Hæ Balneæ in uſu erant antiqvis, & notæ factæ ſunt, â viri optimi & fortiſſimi, Kiartani Olavii, Islandorum nobiliſſimi (erat enim ê filia Nepos Mir-kiartani Hyberniæ Regis), deflenda morte, ſub nomine (y) Tungu-laugar vel Sælings-dals-Laugar. Thermæ Dalenſes.

E 2 §. LXIX.

Gull-Pores-Saga cap. 1. & Niala cap. 10.

(u) Landnama-Saga, Part. 2. Cap. 19. 20 & 22. Sagan af Grettir Aſmundar-ſyne Sterka Cap. 29. Porneſinga-Saga cap. 57.

(x) Grettis-Saga Cap. 51.

(y) Eyr-biggia-Saga cap. 61. 64. &c. Lax-dæla-Saga cap. 21. 27. & ſeqq.

§. LXIX.

Sectionis Primæ conclusio.

Hæc est & fuit apertior Islandiæ Natura & Constitutio, qvando in illam Norvagi commigrarunt, ad novas sedes qværendas, ex qva viderunt, & videmus, hodie, qvilibet, stupendarum revolutionum vestigia. Qvæ hic annotantur, super ea, qvæ nostræ Antiqvitates perhibent, vel ex alienis & notissimis, vel ex propriis observationibus, hausta sunt. Multi tamen tractus, qvi manifeste exusti sunt, hic omittuntur, qvorum, etiamsi non mentionem injiciant, membranæ nostræ, qvoniam nuncupandi illos defuit occasio, tamen de illorum vetustate ut ambigatur, opus est omnium minime, tum qvia in nostris Annalibus, altum est de illis silentium; tum qvia superinductæ terræ magnitudo, sui antiqvitatem firmissime tuetur. Non sivit insuper brevitas temporis, nec exegit compendiaria descriptio, ut unum qvemqve locum, nominatim recenserem. Maxima nec non celebratissima attigisse sufficit.

SECTIO

Olafs Triggva-sonar-Saga Part. 2. Cap. 51.

SECTIO SECUNDA DE ISLANDIÆ NATURA ET CONSTITUTIONE APERTIORI.

CAPUT PRIMUM DE ISLANDICÆ TERRAE CONSTITUTIONE INTERIORI, ANTRORUM & FOSSARUM BENEFICIO DETECTA.

MEMBRUM PRIMUM. DE MONTIUM ET COLLIUM CONSTITUTIONE.

§. LXX.

In hac Sectiuncula inſtitutum eſt Naturam & Conſtitutionem Islandiæ occultiorem curſim perſeqvi, ad illam pertinent inordinata ſtrata terræ, cavitates & meatus ſubterranei; & diverſa terrarum genera, Mineralia, metalla & alia corpora foſſilia. Montium ſpecus & cavitates, qva omnibus notæ ſunt, ad hanc Sectionem non referuntur, ſed eatenus qva inordinatam terræ aggeſtionem manifeſtant. Cum primi Islandi de Inſulæ, niſi qva habitabilis Natura in

Sectionis ſecundæ ſynopſis & ordo.

qvirenda, non fuerint solliciti, eorum manuscripta & Historiæ non magno mihi usu fuerunt. Ad vulgares ideo qvas in Islandia audivi, relationes, & observationes, me contuli, ex illisqve, qvæ inveni, elicui, ad præsentem scopum spectantia.

§. LXXI.

Causa cavitatum subterranearum in Islandia.

Cum in Antecedentibus monstratum sit congestam esse Islandiam è rupibus, ab Igne vel exesis & varie informatis, vel exustis & infuscatis, cineribus, pumicibusqve, in tam violenta montium, tamqve rapida genitura, summam regnare confusionem, qvis non videt? Saxa, qvæ ejaculatur Ignis, inæqvaliter cadunt, unde qvando non adsunt cineres, vel alia minutiora rejectamenta, ad ruderandam molem, tunc cavitates & hiatus, oriuntur. (Disc. Præl. §. XII.)

§. LXXII.

Ita per universam Islandiam, montes hiant, perplexis meatibus, qvos Insulani Hellra vocant, ut vero montosa Islandiæ tesqva inhabitabilia sunt, & conseqventer ignota (§. LXXII.), minima Hellrorum pars de-

detecta eſt. Horum clariſſimos, qvi vel Gigantum (ſive maximorum efferorumqve hominum) & Exulum in habitatione, vel occaſione qvadam alia, innotuerunt, enumerabo.

§. LXXIII.

In montanis Auſtralibus Antra plurima, ut in (z) Monte Skialld-breyd (§. XVIII.) ubi Gigantum metropolin confluxumqve, ludorum celebrandorum gratia noſtra monumenta tradunt. In Teſqvis Kial-veg vel Kyle (§. XVIII. & XLI.) (a) Grettis-Hellir & (b) Berg-þors-Hellir, in monte Bla-felle, in qvo hodie Bergthoreri Gigantis lectum videri teſtantur accolæ; vidi qvoqve in Templo Haukadalenſi Vectem magnum, qvi tanqvam ejus baculus, ibidem ſervatur. In colle (c) Joru-kleif, prope Alþingit (§. XXI.) Antrum eſt Jorunæ fœminæ Giganteæ; & alius in promon- AntraAuſtralis Inſulæ.

E 4 to-

(z) Bardar-Saga Snæfells-aß Cap. 9. Grettlu Cap. 59.
(a) Grettis Saga Sterka Cap. 54.
(b) Sagan af Barde Snæfells-as, c. 9.
(c) (d) Kialnesinga-Saga Cap. 3.

torio (d) Kialar-nese ubi Bue Esiu-fostre sive Hundur, delituit.

§. LXXIV.

Duo Antra maxima, in Nomarchia Borgar-fiordica nota sunt. Unum Surtonis Gigantis in campo Hellis-fitium, vulgo (f) Surts-Hellir. Alterum Thoreris Gigantis, in nivoso monte Geitlands-Jøkle (§. XVIII.), sub vallis nomine, veteribus (g) Poris-Dalur, nobis Ara-dalur, notum. Juxta Gretteri relationem, qvi hic unam sui exilii hyemem transegit, vallis est, cryptæ similior, sub ipsa montis glacie profundissima. Hinc superius, nivibus propemodum occlusa, læta inferius gramine, scatet rivis fontibusqve calentibus, qvi suis exhalationibus supernam glaciem conjungi vetant. Multa de ejus postea detectione fabulosa narrantur, sed nunqvam post eandem hyemem, qvæ

Ara-dalium descriptio.

(f) Landnama-Saga Part. 1. Cap. 20. & Part. 3. cap. 10. Bardar-Saga Snæfells-ass cap. 13. & Holm-veria-Saga cap. 33.

(g) Grettla Cap. 59. & Bardar-Saga cap. 9.

(qvæ in Annum Millesimum, Vigesimum Qvintum incidit) inventam fuisse credo. Refert Gretterus tunc temporis, per totam vallem errasse numerosissimum Ovium gregem, insolitæ magnitudinis, supraqve modum saginatarum, qvi laudati gigantis erat. Videmus hinc, qvam vasta & omnibus ignota, non tantummodo dari sit probabile, sed & adsint receptacula subterranea, in Islandiæ montibus.

§. LXXV.

Antra Orientalis Insulæ.

Totus Orientalis Qvadrans cavernosus est, & in specie continua illa catena Glacialium Montium (§. XXXII. & XXXIII.) qvi crebris postea incendiis permutati sunt. In Nomarchia Skapta-fellica prope prædium Geirsland (h) Antrum dehiscit in fluminis deruptis ripis, in qvo Gunnerus cum Helgone Fratre, arte palæstrica invidiosus, delituit. In Nomarchia Mula-Sysslu, sinus (i) Hel-

(h) Sagan af Gunnare Kelldu-Gnups-Fifle Cap..

(i) Landnama-Saga Part. 4. Cap. 6. &

Hellis-fiørdur, & (k) Geita-Hellrar, caprarum ſpecus innotuerunt. Hodie autem, in omnium ore creberrime verſatur crypta inſvetæ longitudinis, Dala-Hellir, qvam ſub integro montis dorſo, abusqve parœcia Ut-Manna-Sveit, ad ſinum Borgar-fiørd, protendi ajunt accolæ, per Qvatuor circiter Milliaria Danica. A ſeipſis enim fruſtra pluries tentatam eſſe infinitam ſpecus longitudinem, ab immiſſo fele ſuperatam tradunt.

Crypta Dala-Hellir.

§. LXXVI.

Pars Islandiæ Septentrionalis, freqvens eſt ſpecubus, & in ſpecie circa lacum Mi-vatn (§. XLII.) ut ex ænigmatico (l) Viga-ſkutu nomine, pateſcit; in unius earum harenoſo fundo Tepidarium ſalubre, ab accolis hodie freqventatur. Non lon-

Olafs Triggva-ſonar-Saga Part. 2. Cap. 18.

(k) Nials-Saga Cap. 122.

(l) Viga-Glums-Saga cap. 16. & Sagan af Vemunde og Viga-Skutu cap. 20.

longe ab hinc, in valle (m) Bardar-dal, & cataracta fluminis Eyar-dals-a, Antrum est Gigantum inhabitatione clarum. Antra pari modo, in Promontorio Siglu-nese (§. XLIII.) (n) Lagalfs-Hellir, in rupibus Midfiordicis (o) Glams-Hellir (§. XLVIII.) & alterum (p) in Breid-dalensibus, ad sinum Hrutafiørd (§. XL & XLIX.), innotuerunt.

§. LXXVII.

In Pen-Insulæ Occidentalis valle (q) Pambar-dal, Skrams-Hellir, antrum est haud ignotum. In Snæ-fells-nesi specus sunt sine numero (§. LVIII.), ut in monte (r) Enne, Hettu-Hellir, in ipso Snæfells-Jøkli (s) Bardar-Hellir, ubi Bar-de-

Antra Islandiæ Occidentalis.

(m) Sagan af Grettir Asmundar-Syne Cap. 34. 61. & 62.
(n)(o) (p) Bardar-Saga-Snæ-fells-aß. Cap. 9 & 13.
(q) Bardar-Saga cap. 15. Kormaks-Saga Cap. 11.
(r) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 8. & 9. Bardar-Saga cap. 8. & Pòrnesinga-Saga cap. 54.
(s)(t) Sagan af Barde Snæ-fells-as Cap. 5 & 7.

derus Snæ-fells-as, five Montis Nivofi Deus, habitavit (t) Søng-hellir, cantus antrum, hodie celeberrimum, cui Barderus, cum fuis, ab infigni vocis repercuffione, nomen impofuerunt; hic enim primum conveniebant, ad confulendum de habitatione terræ & fundorum diftributione. Duæ funt hic præterea cryptæ, inexploratæ longitudinis, Dalenfi illi (§.LXXV.) haud abfimiles; una in falebris Beru-vikur-Hraune (§.LIX.), in cujus anteriori parte qvidam fertur opilio (Ducentis ab hinc annis), hyberno tempore centum ovium gregem cuftodire folitus, cum ovibus difparuiffe, de qvo multa fabulofa. In eadem, qva difparuit, nocte, cum tempeftas, cum gelu & grandine, turbulentiffima, oborta fuerit, illum algoris impatientia victum, interiora fpecus petiiffe credo, fed deceptum anfractibus, nunqvam inveniffe reditum. Forte & in cavernas & Lacus, qvi in talibus cryptis fæpe obviam fiunt, fe præcipitavit. Unius Milliaris fpacio diftat altera, in Lingulæ Ond-verdts-nef, rupibus ma-

Crypta Berviceníis.

maritimis, Svaurtu loptum, ſeſe aperiens, longitudinis infinitæ. Hanc cryptam ſub totum promontorium (§. LVIII.) ſe porrigere vulgaris eſt opinio, omni non probabilitate diſtituta. Antrum enim in valle Hitar-dal (§. LXII'), cui iſtud Ondverdtneſii conjungi dicunt, longitudinem habet itidem infinitam, & in eadem, ac illud alterum directione, poſitam. Cryptam Ondverdtneſicam, accolæ, oblata, non paucis ab hinc annis, occaſione, inviſerunt, acceptis ſecum Lychnis & Lineis, ut de reditu certi eſſe poſſent, ſed ſine ſpecus non invento, fruſtra diceſſerunt. In Nomarchiæ Hnappa-dals-ſyſlu, Monte Fagra-Skogar-fialle, Antrum eſt (u) Grettis-bæle. Vertex enim excavatus eſt & perforatus, tanta apertura, ut hodie, qvi radicibus inſiſtunt, æqve ac longius diſtantes, feneſtratum montem perſpiciant. Mons Perforatus. Hic exulanti Grettero ſedes erat tutiſſima & propugnaculum, tam ob arduam acclivitatem montis, qvam pro-

(u) Sagan af Grettir Aſmundar-ſyne Sterka cap. 52.

prospectum utrinqve optimum. In Nomarchia Mira-syslu, valle Hitar-dal, antrum (x) Hunda-Hellir, notum est. (y) Hallmundar-Hellir, in monte Glaciali Balld-Jøkle (§. LXIV.) ab Hallmundo Gigante, Gretteris Robusti amico, denominatur.

MEMBRUM SECUNDUM
DE
VALLIUM ET PLANITIERUM CONSTITUTIONE.

§. LXXVIII.

Stratorum Natura in genere.

Antea dictum est valles solum & Planities Islandiæ habitari (§. II.). Harum tamen magnum est discrimen, pro montium præsentia & depressionis gradibus. Generatim notandum venit non eandem esse in Islandia, ac in aliis regionibus, terræ, atqve stratorum constitutionem; nec unicam per universam Insulam, sed diversissimam, pro multiplici inversione terræ. Densitas adhæc terræ frugiferæ longe minor hic, qvam alibi

(x) Bardar-Saga cap. 13.
(y) Grettla cap. 54 & 56. Bardar-Saga cap. 9.

alibi, non ſecus ac tectorium exiguum poteſt reſpici, qvo vix ſaxorum commiſſuræ operiuntur.

§. LXXIX.

Ad Valleſtrem terram tres ſpecies revoco: Grumoſam nempe, Campeſtrem & Paluſtrem. Grumoſa terra plerumqve editior & inhabitatibilis, Islandis Moar & Hollta-Moar. Extrinſecus Grumis ſive Glebis inæqvalis, in majores acervos non raro emicat. Muſco, pariter ac Salebræ, Melini coloris, (§. X.), obducta eſt, cui crebro internaſcuntur Myrtilli, Juniperi & Ericæ bacciferæ, vulgo Luſa-ling vel Krake-beria-ling, e cujus baccis Inſulanos, olim vinum excoxiſſe, noſtri Annales referunt. Hoc terræ genus in Islandia freqventer occurrit, circa radices montium, interdumqve in immanem ſolitudinem ſeſe explicat, ut verbi gratia, in Islandia mediterranea, ubi deſertum viginti, circiter milliaria Danica, in circuitu, montibus exuſtis undiqve clauditur. Hic eſt Lacus Þingvalla-vatn (§. XXIV) Mos-fells-heyde, Skuflungar & Ling-dals-heyde, Teſqva vaſtisſima

Terræ Grumoſæ natura.

ſima, Grumoſa omnia. Innuit Muſcoſa inæqvalitas, aggeſtionis terræ in cauſa fuiſſe Ignem. Si enim intrinſecus indagetur, omnis eximitur dubitatio, nam tunc diverſarum terrarum commixtura notabitur, ſaxa verſa in Igne & non verſa, pumices partim contriti partim integri, cum aliis lapidibus, in luto & maſſa calcinatarum rerum, intermixti jacent. ſumma: nihil præter confuſionem, qvæ in Ignis eructationibus regnare ſolet, intueberis.

§. LXXX.

Terræ Campeſtris Natura.

Terra campeſtris, in plerisqve locis, Grumoſa (§. LXXIX.) demisſior, ab Islandis **Vøllur** & **Vallende**, vocatur. Campeſtre ſolum culturæ eſt aptiſſimum, graminoſum exterius, interius nigrum & molle. Qvando fimo, vel alius generis ſtercore lætificatur, ut gramen Lactarium producat, **Tun** appellatur. Loca campeſtria, niſi, ſicubi diligenter excolantur exoſſenturqve, lapidibus intus. Saxisqve, & in Igne ſcabratis, & non, referta ſunt.

§. LXXXI.

§. LXXXI.

Terra Palustris, vulgo Miire vel Miir-lende, humillima, aqvas de editis defluentes excipit. Si in rivos & amnes aqva se colligat, solum, temperatis irrigationibus, feracius evadit; sin vero natura loci stagnare cogat aqvam, tunc putresit, & maleolet. Sunt ejus generis paludosa loca in Islandia sine numero, qvibus si infodiatur, ligna & surculos putrefactos magno numero reperies, qvi sylvas subsedisse indicant. Inter innumera exempla, unum in promtu est, de Paroecia Mijrum, (a) qvod olim sylvosissimum, paucas hodie virgulas retinet. Terra vero, ex maxima parte, aqvis subtus plena, putorem teterrimum emittit. Talis aqvarum accessus, cum Igne subterraneo & Incolarum incuria, fuit prima causa & præcipua, interitus sylvarum, qvibus in principio con-

Terræ Palustris Natura.

Sylvarum Interitus.

F

(a) Landnama-Saga Part. 1. Cap. 19. confer. Sagan af Eygle Skalla-Grims-syne cap. 21.

confitam fuiſſe Islandiam, noſtræ (b) Antiqvitates confirmant.

§. LXXXII.

Stratorum Ordo in fodinis Glebariis. In humillimis Islandiæ locis terram eſſe Profundiſſimam rationi maxime convenit; nam aqva qvæ per declivia deruptaqve montium, devolvitur, in lapſu ſecum devehit terreſtres particulas, in loca inferiora (Diſc. Præl. §. XIII.). Hic præpingvem illam terram Mor & Motorf, qvæ, pro lignis vel Cremiis, alendo foco inſervit, Islandi fodiunt, Hac occaſione, in diverſis locis Inſulæ, talem prope ſtratorum ordinem obſervavi: Primum terræ nigræ & mollis profunditas eſt bicubitalis, de-

(b) Landnama-Saga Part. 1. Cap. 1. & & 14. Part. 2. cap. 2. &c. Schedæ Ara-Preſts-Froda cap. 2. Nials-Saga Cap. 32. 57. 61 & 137. Sagan af Bua Eſiu-Foſtra cap. 1. Sagan af Rafnkele Freys-Goda cap. 5. Sagan af Gunnare Pidranda-Bana Cap. 2. Lios-vetninga-Saga cap. 23. Viga-Glums-Saga cap. 19. Sagan af Kormake cap. 11. Gisla-ſurs-ſonar Saga cap. 19 & 27. Gull-Þoris-Saga cap. 1. Porneſinga-Saga cap. 35. &c.

deinde pumices albi & comminuti (§. XIII.) in limosam terram pauxillatim abeunt; Hæc a terra illa pingvi excipitur, qvæ non raro bipalmi argillæ strato interrupta, tres, & supra interdum, orgyjas explet. Tota deniqve fossura, fistulosa terra, qvæ putris est & aqvosa, terminatur.

§. LXXXIII.

Licet jam stratorum ortum in aliis orbis terrarum partibus, variis inundationibus magna nomina contribuant, eundem tamen in Islandia, Ignis eructationibus & pluviis, ut supra dixi, pronior adscribam. Illis enim positis, & pumicosa strata sine longiori circuitu locum reperiunt, & cinerum, in bonam mollemqve terram transmutatio facilius explanatur. (vid. Disc. Præl. §. X. & XIII, & En. Hist. §. XIII.) Causa stratorum in Islandia.

CAPUT SECUNDUM.

DE

ISLANDICAE TERRAE CONSTITUTIONE INTERIORI AQVARUM BENEFICIO DETECTA.

MEMBRUM PRIMUM.
DE
LACUBUS MONSTRIFERIS ET PISCOSIS.

§. LXXXIV.

Lacus & Abyssi Monstriferi.

Lacus & Flumina Islandiæ cum suis animalibus hic describere non statui, nisi qva nobis vasta sub terra receptacula & meatus profundiores referant. In his primum locum occupant Abyssi lacus, vulgo **Tyi-bytnur**, qvi non in superficie terræ, sed in abstrusissimis ejus visceribus terminantur. In his latere monstrosæ magnitudinis belluas, vulgo dicunt Incolæ, ut est **Nikur** vel **Vatna-Hestur**, Hippopotamus, Bos, Angvis, Phoca, Raja &c. Cum fere innumeri sint ejus generis lacus, illos nominatim recensere, nihil confert ad nostrum propositum. Per totam Insulam celebratissimum est (c) **Lagar-fliot**, in Nomarchia **Mula-Sysln**, Flumen in Islandia longe maximum, in qvo Angvem portentosæ magnitudinis (centum orgyjas ejus longitudinem excedere dicunt,)

(c) **Landn. Saga** Part. 4. Cap. 2. 3. & 4.

cunt,) non ſolum vulgus, ſed & Annaliſtæ noſtri; ſæpius apparuiſſe referunt. Hippopotamus verò, in omnium Islandiæ plagarum, lacubus ſe pluries vulgo conſpiciendum præbuit, ea cum figura propemodum, qva illum olim (d) Plinius donavit. E lacu (e) Svijna vatne, non longe a Monte Sancto (§. LVI,), in terram egreſſum eſſe; & in mirum ſane modum tractatum, ab uno primorum incolarum, Auctor Landnamæ perhibet.

§. LXXXV.

Cum autem nulla adhuc, niſi ſubleſtæ fidei, teſtimonia audire licuerit, de talium Animantium apparitione, ipſa non hic pro vere exiſtentibus poſſunt venditari. Nam longa docuit experientia, tales traditiones fabuloſas eſſe imo falſiſſimas. Maxime ſuſpectum eſt & ſanæ rationi con- *Delacubus Monſtriferis Fabuloſa.*

F 3 tra-

(d) Plinii Hiſt. Nat. Lib. 8. cap. 25. Adde ad Lit. (c) Sagan af Rafnkele Freys-Goda cap. 1. & Nials-Saga cap. 122.

(e) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 10. Ubi Hippopotamus Apal-grar-Heſtur ɔ: Scutulatus eqvus vocatur.

trarium, qvod Angves illi immanissimi, ut Lagar-fliotensis (LXXXI), in eodem semper, (ut aiunt) loco immoti jaceant, cum illorum natura motum assiduum reqvirat. Deinde qvod Hippopotamus, jumentorum instar, vel animalium cicuratorum tractari possit, meram sapit fabulam, qvæ tamen, in citato loco (§. 84. sub lit. e.), non sine respectu, pro istorum temporum natura politico, conficta est.

§. LXXXVI.

Lacus Monstrifer in rupe fellsmulensi.

Ne tamen omnia fabulosa existimasse videar, Monstra, sive insolitæ staturæ & formæ belluas, in lacubus Islandiæ profundissimis & subterraneis, adesse non renuo, qvæ, ne qviete nimia torpescant, amplissimum natandi poscunt spacium, in penetralibus terræ. Multa in Islandia audivi, de lacu illo abysso, in Australis QvadrantisNomarchia Rangarvallica, non longe a prædio **Fellsmula**, in concava qvadam caute; In hoc lacu, tranqvillo & miti aëre, monstra qvotidie apparent, qvæ statura, figura & colore diversissima, Balænarum, Delphinorum Thynno-

rum-

rumqve naturæ videntur asſimilari, licet multo ſint monſtroſiora, id qvod facillime patet, ſi bellum inter ipſa moveatur, piſcium vel aliorum animalium, devoranda illis cadavera, projiciendo.

§. LXXXVII.

Piſcoſi lacus in montanis Islandiæ altisſimis, cum in ſuperficie terræ, nulla cum mari habeant commercia, ſubtus habeant neceſſe eſt. Piſces enim, qvi æſtivo, in fluvialibus, in marinis aqvis degunt brumali tempore, qvosqve Reydar & Sio-Reydar Islandi appellant, in dictis perſæpe lacubus, capiuntur. Sio-Reydarum natura

§. LXXXVIII.

Montana qvoqve Islandiæ gaudent lacubus, qvos ſecundum ordinarium fluxum & refluxum maris creſcere & decreſcere vulgo dicunt. Ejus eſt naturæ, inter complures, lacus Skridu-vatn, in Nomarchia Mula-Syſlu. Sed teſtimoniis firmis & fidelibus opus eſt, priusqvam adhibeatur fides, qvoniam tales ductus hydraulici, videntur adhuc Natura difficiles. De lacubus autem qvi eandem habent cum mari altitudi- Lacus cum mari commercia habentes.

dinem, ut ille est in sinu Olafs-Fyrde, Septentrionalis Insulæ, & alter in Promontorio Sna-fells-nese, Jokul vocatus, nullus est qværendi vel dubitandi locus. Qvod etiam aqva possit, caloris vi in vapores resoluta, ad supercilia montium ascendere, id nec experientiæ nec rationi est contrarium.

§. LXXXIX.

Piscium Disparitio. Dantur præterea in Islandia freqventes lacus, qvi piscibus abundant aqvæ marinæ insvetis. Hi, hyematis superius aqvis disparent prorsusqve aufugiunt, ut, etiamsi piscatores fundum diligentissime qvasi everrant, non unicum qvidem expiscantur. Illos in mare descendere qvidam autumant, qvod natura eorum prohibet. Sed in latebris, vel in, vel sub fundo lacuum hyemare, tutius statuendum est.

§. XC.

Hæc piscium fuga (§. LXXXVII. & LXXXIX.), æqve ac reliqvorum aqvatilium natura, qvæ in penitissimis terræ recessibus vivunt (§. 86.) indicant, cuniculis pertusam esse Islandiam plenamqve aqvosis cavitatibus.

§. XCI.

Sed surgit hic difficultas non spernenda, qvæ forte ortui Islandiæ contraria esse videbitur, scilicet, qvod terra, qvæ e tam violentis principiis, ut ignis est subterranei eruptio, enata est, nullis ejusdem naturæ animantibus, gaudere possit. *Piscium ortui objicitur.*

§. XCII.

Vel ad summi Numinis omnipotentiam confugiendo, me extricare possem, qvod in hac terra eodem potuit modo Animalia producere, qvo in prima orbis creatione vitam dedit omni animato: vel ad Physicorum assertiones, qvi Dracones & alia Animalia subterranea, ex prolifero qvodam semine nasci volunt, qvod omniparens Terra, ex varia commixtura parat succorum Mineralium.

§. XCIII.

Sed via longe planior rectiorqve aperitur, qvæ non solum ducit ex anfractibus, sed & ad natales terræ origines perducit. Supposito enim, qvod enata sit Islandia ex ejectamentis Ignis (Disc. Præl. §. VI.), ponuntur ejus fundamina, cum primum cœperunt erigi, fuisse cavernosissi- *Piscium Ortus explicatur.*

ma (Disc. Præl. §. XII.), cum vero in mari primum locata sint, seqvitur cavernas inferius fuisse mari repletas (vid. ib. §. XII.). Piscium natura nota est præterea, qvod fundi semper marini latebras qværant, & in illis, sicubi abditiores invenerint, stabulentur. Qvando jam pisces immaturi (sive minores sint, ut Passeres, Aselli, Rubelliones &c. Sive Majores, ut Phocarum, Thunnorum Delphinorumqve Vituli) cavernas introeunt & in illis adolescunt, necesse est, si introitus tenellis fuerit angustior, maturis nullum dari reditum. Clarum est insuper, plerosqve pisces sqvamiferos ova eniti, qvorum magna copia in litus Islandicum defertur & ab incolis Hrogn vocatur. Qvando hæc ova, mare, cavernarum orificiis intromittit, exclusi intus pisciculi maturescunt & supra dicto modo includuntur. Sic augescunt, vescunturqve majores minoribus, & multiplicantur naturæ legibus, si vero diversæ species coeant, fœmina bigenerem partum enititur, unde ortum ducit monstrositas.

§. XCIV.

§. XCIV.

Deinde hæc animalia, qva patent ſedes latiores qværunt, aſcenduntqve tandem ad terræ ſuperficiem, vel per rivos & fluvios ſubterraneos, nam magna pars pluvialis aqvæ, qvæ terræ ſuperficiei multiforæ illabitur (Diſc. Præl. §. XII.) per meandros longiſſimos defluens, format in cavitatibus ſubterraneis Lacus & Confluges & flumina, qvæ ad dictas piſcinas tandem deveniunt. Vel Terræ motus gratia aſcendunt piſces cum lacubus, qvi ſubſidentis terræ locum occupant (Diſc. Præl. §. VIII.). Hinc etiam videri poteſt, qvomodo aqva, in principio marina, ſi cavernæ extrinſecus, vel limi in fundo maris aggeſtu, vel novis ignis ejectamentis (Diſc. Præl. §. XV.) obturentur, ad ſuperficiem perveniant, & partim percolato ſale, partim aqva pluviali admixta, dulceſcat (vid. Diſc. Præl. §. XIV.

Piſcium ad terræ ſuperficiem aſcenſio.

MEMBRUM SECUNDUM.

DE

THERMIS FONTIBUSQVE FERVIDIS, TEMPESTATES INDICANTIBUS ET AQVÆVOMIS.

§. XCV.

§. XCV.

Thermæ æstuosæ qvare hic iterentur.

Fontes Ferventes, per universam Islandiam enumeravi, qvatenus Ignis & Ignitæ materiæ signa sunt. Nunc eorum qvosdam, qva aqvam magno impetu protrudunt & tempestatum vicissitudines significant, retractabo. Ejus Naturæ est Ura-Hver (§.XLV.), Deyldar-tungu-Hver & dimidii Milliaris Germanici intervallo distans. Reikia,holls-Hver (§.XXVI.), Reyk-hola-hver, (§. LXVI.) & plures alii. Provinciola Olvese (§. XX.) pluribus scatet fontibus æstuantibus, qvorum mentionem, nostras antiqvitates, licet injecisse nesciam, tamen hic prætermittere nolui, cum Islandiæ subterraneæ constitutionem antiqvam & novam patefaciant. Bad-stofu-Hver, e fissura rupium, in magnam altitudinem paulisper erumpit, & evacuatus, receptam & propriæ magnam partem, & præsentis rivi aqvam altera apertura, post breve spacium revomit, idqve continue. Geyser horrendo olim sonitu æstuavit, sed sub finem proxime elapsi seculi, ruina vicini montis sedatus est, hodie igno-

ignotus. Unus autem in hac paroecia, cujus me proprium latet nomen, maxime nobilitatur, sudo enim cœlo qviescit plane, verum procelloso, fumi & aqvæ ferventis magnam emittit copiam. Ante dicti autem fontes omni qvidem tempore aqvam evomunt, sed nimbosis tempestatibus, majori sævitia.

§. XCVI.

Cum locorum in qvibus æstuosi fontes scaturiunt, non adhuc exploratus situs & natura habeatur, difficile erit eruptionum causas, nisi conjecturales, reddere. E Fontium effectibus liqvet concavitates & mæandros sub terra, longissimos, cum subterraneo aëre, ad aqvæ evomitiones contribuere. Rivi enim ab altiori loco lapsi, ad cavitatem deorsum feruntur, in qva totum confluvium, vi ignitæ materiæ (Disc. Præl. §. II.) fervescit; aëris vero beneficio, calore dilatati, majori impetu, per angustos siphones, e fundi scaturigine, protruditur. Qvando autem pro tempestatum vicissitudine, fontes æstus suos adaugent, vel deminuunt, aliqva necessario conjunctio, inter Thermæ qva ratione æstuent.

su-

ſuperiorem & inferiorem aërem intercedit, ita ut, qvi ſuperiorem tenet regionem aër, nubibus craſſeſcens, propria gravitate, vel per cavernam qvandam cavitati, vel hiantibus rivorum capitibus, intrudatur, promatqve & cieat inibi conſiſtentem aerem.

§. XCVII.

Geyſeri mire Aqvævomi deſcriptio.

Hanc materiam ulterius illuſtrat Fons ille prodigioſus, Geyſer ſive Graſſator, (alter ejusdem nominis) (vid. §. XCV.), in valle Haukadal, (§.LXXIII.) intervallo duorum vel trium Milliarium Danicorum a Skalholtiis diſtans. Hic Fons, inter nova & admirabilia naturæ artificia numerandus, ſtatis qvotidie temporibus, aqvas ferventes eructat. Situs eſt in rupe excavata, ad radices montis, qvi cum mediterraneis Montibus (§. V.), cohæret. Anno Milleſimo, Septingenteſimo, Qvadrageſimo Sexto, qvo Patriam reliqvi, inviſi rupem, vidiqve in ejus ſummitate lacunam, qvæ turbinata cavitate, in ambitu Viginti orgyjarum margine circumdata, Trium orgyjarum profunditate, in anguſtas fauces deſinit,

ſinit, per qvas ſenſim aſcendit aqva, usqve dum lacunam ſuperfluat. Tunc perinde ac ſi continuam bombardarum exploſionem audires, fragores, vel qvaſi ſclopi ſumme horribiles, ſubtus incipiunt, qvibus tota rupes intremiſcit. Poſt editos Sclopos Qvatuor vel Qvinqve, fervens aqva, non continuo fluxu, ſed pro ſonorum numero perpaullulum intervallato, cum immenſo fumo incipit evomi, ſaxisqve, ſi qvæ voragini prius immiſſa ſint, comminutis. Aqva in ſexaginta, ad minimum, orgyjarum altitudinem, ejicitur, tanta copia, ut calentes inde rivi circum circa generentur. Poſt Sex vel Septem horæ minuta, cum fragoribus deſævit eructatio, ceſſatqve penitus, lacuna & faucibus evacuatis.

§. XCVIII.

Cauſa Eruptionum Geyſeri.

An Geyſerus juxta fluxum & refluxum maris ſæviat, non adhuc inventum eſt. Ad ſingularem ejus in erumpendo vehementiam, ſingularem loci naturam, cum aëre ſubterraneo concurrere opinor. In Montanis ſuperioribus (§. V. & XCVII.) Lacus ſunt & amnes non pauci, ex qvi-

qvibus per occultos meatus, fluvii ad Geyſerum perduci poſſunt. Fauces Fontis, prout e fragorum diſtantia, judicare poteram, in terræ profundiſſima deſcendunt, ibiqve a vaſta qvadam concavitate excipiuntur. In hac cavitate aqvam primum incaleſcere, probabile eſt, materiæ, ſuo met igneſcentis vi, (Diſc. Præl. §. II.). Aqva, a deruptis locis præcipitans, reddit vehementiorem motum aëris, qvi adhæc frigore condenſatus, cum in concavitatem delatus eſt, calore extenditur, ſed comprimitur ſimul cum aqva loci anguſtiis. Hinc aqva per rupis fauces, ad lacunam aſcendit, ſimulqve cavitas impletur, cum deſcendens aqva aſcendente ſit major. Jam ſuppono, aqva ſimul ac repletur concavitas repleri etiam lacunam, ita ut aër, qvi ſe extendere nititur, non diutius patiatur comprimi, ſed maxima violentia per fauces exitum moliatur. Interea ruentis Cataractæ vis inſtat, urget, & protrudit aqvam. Aër vero, qvi ſe laxare inchoat, cum aqva certans de aſcenſu, ejusqve fluxum pauliſper interrumpens, edit horrendos illos ſclopos, qvorum aliqva ha-

habetur similitudo, qvando per angustum vasis orificium, aqvam vel alia fluida, infundimus & effundimus. Aqva ideo rapidissime, se e rupe proripit, cum his colluctationibus, qvæ, ut antea dictum est (§. XCVII.) fluxum ejus interrumpunt. Rudis hæc de Geyseri aqvævomi constitutione, conjectura, applicari potest, sive in causa tantum sint flumina, sive mare cum illis operetur. Mirus hic Fons, insuper ostendit, qvanta arte, recessus hic subterraneos, natura condiderit.

MEMBRUM TERTIUM.

DE LACUBUS AMNIBUSQVE GLACIEIFRAGIS & PLUVIAM PRÆSIGNANTIBUS.

§. XCIX.

Habet lacus qvosdam nec non flumina Islandia, qvorum, qva constringuntur, glacies qvando algent omnia terra mariqve, frangitur inopinato. Unus, inter Lacus, situs est, in Nomarchia Huna-vatns-Syslu (§. XLIV.). Alter prope sinum Hornafiørd, in Qvadranti orientali, no- Lacus & Amnes Glaciei-fragi.

 mi-

mine Baulu-Tiørn, Bovis Lacus, (vid. §. LXXXIV.). Flumen Hvita, i Borgar-fyrde (§. XV.), fracta glacie, pluviam non longo, post tempore futuram, accolis indicat.

§. C.

Qvomodo elevata Glacies præsignet pluviam.

Islandi talem glaciei fractionem, Upp-brot, id est effractionem vocant, dicuntqve vulgo: Ainn eda vatnid, brytur Jsenn upp, hoc est: Amnis vel Lacus effringit glaciem. Primum enim glaciem elevari, deinde magnis fragoribus vel strepitu dissilire tradunt, unde parta est vulgo occasio, tribuendi tantos effectus monstris subaqveis (§. 84.), indigna opinio, ut respondeatur, rerum enim tanti momenti causa esset longe nobilior. Sunt forte amplissima subtus receptacula aëris, qvi a superiori crassescente pressus, per canales absconditos, e lacuum vel amnium fundis, prius protruditur, qvam adventus pluviæ prævideri potest, in superficie terræ.

§. CI.

Qvomodo cadens glacies præsignet pluviam.

Sed sudare in rerum demonstrationibus, qvas pro certis venditare neqveo, parum conducit ad meum pro-

propofitum. Forte non effringitur glacies, fed fubfidendo defilit, ut in aliis fluminibus obfervatum eft. Posfunt qvoqve hoc modo, in fæviffimo gelu pluviam præfignare. Qvo diutius enim terræ congelafcunt, eo diutius glacies, cum ipfis terris, aqveas particulas in aerem evaporant. Jam vero diuturno gelu, non modo amnium & Lacuum aqva fuperior concrefcit, fed & decrefcit inferior hyematis rivis, qvi aqvam illis fuppeditant. Certum igitur tempus, & gelafcentis terræ glacieiqve effluvia, qvæ in Atmofphæra côngregata, in pluviis decidunt; & decrementa aqvæ, exigunt. Unde non mirum eft, talem dari, in multis locis, utriusqve temporis commenfum, ut, qvando magnorum fluminum lacuumve glacies, diminuta aqva, ruit propria mole & Atmofphæræ pondere, ingravata, tunc, non multo poft tempore, pluviofa tempeftas, fperari poffit.

MEMBRUM QVARTUM.
DE
LACUBUS QVI VEL FLUMINA, TANTUM SINE INCREMENTO RECIPIUNT, VEL SINE DECREMENTO EFFUNDUNT.

§. CII.

Lacuum Natura duplex.

Non rari sunt in Islandiæ montanis lacus, qvos, etiamsi vere non stagnent, tamen Stødu = vautn, ɔ: Stantes Aqvas Insulani appellant. Horum Natura duplex est: Qvidam magnos aqvarum profluentes, excipiunt, nullos vero, vel minimos ex se derivant, sine qvodam notabili sui incremento. Ejus naturæ complures occurrunt in dorso montium mediterraneo (§. V.)

§. CIII.

Qvidam lacus in eodem dorso, licet in terræ superficie, vel nullam vel exipiant aqvam exiguissimam, tamen sine ipsorum decremento, maxima ex illis flumina, continuo effluunt. Lacus Islandiæ maximus Þing-valla-vatn (§. XXIV.) unicum amnem, magnitudine mediocrem, Øx-at-a exipit, qvem bis vel ter exaruisse, in nostris Annalibus memoriæ mandatum est. Unam præterea exsiccationam vidi, qvæ in annum (ni fallor) Millesimum, Septingentissimum Qvadragesimum, Qvartum incidit, in mense Julio, & per Qvatuor-

tuordecim dies duravit, fine infigni qvadam lacus diminutione, etiamfi tria maxima Flumina, accolis communi nomine Sog dicta, æqvali femper in mare fluxu, exoneret.

§. CIV.

Talium eventorum caufa in propatulo eft. Prioris generis lacus (§. CII.), cum non crefcant vel tantum aqvæ fuperfundant, qvantum accipiunt, neceffe eft fubtus gignant & exundent fluvios. Pariter pofterius genus (§. CIII.) cum non exhauriatur, vel plane evanefcat, etiamfi amnes & flumina effundat, per abditos Mæandros acceffionem aqvæ fieri, ratio inculcat. Talis Naturæ caufa.

MEMBRUM QVINTUM
DE
LACUBUS ET FLUMINIBUS SUBTERRANEIS NUSQVAM APPARENTIBUS.

§. CV.

Unum tantum huic capiti annectendum reftat, dignum fane, ut recenfeatur, eam ob rem maxime, qvod nunqvam in Islandia obfervatum fuiffe audiverim. Notiffimum eft, circa montes, & maxime nivofos, Montium Hydrophylacia.

 fub-

ſubqve eorum radicibus; adeſſe vaſta receptacula, in qvibus aqvæ partim pluviales, nivales partim, montibus devolutæ confluunt. Hanc aqvarum copiam, Montes, in ſpecie nivoſi, ſive Jökli Islandiæ, eo abundantius præſtant, qvo plures ſunt & vaſtiores (§. II. & IX.). Cum enim glaciales montes in aërem maxime efferantur, nullo altiori monte, ſolares intercipiente radios, ſunt diutiſſime ſolibus oppoſiti, & per conſeqvens, e ſoluta nive magnos torrentes progenerant.

§. CVI.

Fluminum Islandiæ maximorum Fontes

Sic Jökli mediterranei (§. V. XVII. & XVIII.), ab Auſtrali latere flumina: Hviit-a, i Biſkups-tungum, a Boreali, Jøkuls-a, Herads-vøtnen, Bløndu, &c. producunt. E Montibus niveis orientalibus vel Auſtur-Jøklunum (§. XXXII. & XXXIII.), Jøkuls-arnar, Horn-a-fiardar-fliot, Lagar-fliot, &c. promanant.

§. CVII.

Montes Nivoſi, qvi nulla flumina generant.

Sed præterea plures habet, Montes Islandia, e qvibus, rite ſubductis calculis, magna aqvarum vis

ſub-

ſubter fluit. Ejusdem naturæ ſunt duo illi Islandiæ montes maximi, in Qvadranti Occidentali, Glama (§. LI.) & Sna-fells-Jøkull (§. LVIII.) Prior, etiamſi immenſa nivium congerie, in longum latumqve extenſa, candicet, tamen nullus fluminum decurſus, ſuper terram notatur, præter paucos rivulos, qvorum maximus eſt, qvi in ſinum Skautu-fiørd, maris Iſa-fiördici, effluit. Similiter e Poſteriori, Tres tantum vel Qvatuor rivuli, qvorum Holm-Kyla notiſſimus eſt, oriuntur.

§. CVIII.

Propter cauſas ſuperius explicatas (§. CV.) non poteſt non ex his montibus, magna ſolutæ nivis copia, per abſtruſos canales dimanare, qvod porro confirmant, rupturæ illæ in glace profundisſimæ, qvæ colliciarum inſtar, aqvam nivalem deorſum ferunt. Si enim in crepidinibus adſtes, ruentium ſubtus torrentium murmur audibis. Qvantum jam ad Glamam attinet, non mihi ſatis clare: conſtat, utrum ejus aqva per ductus abditos, ad mare deveniat, an vero ad remotum qvendam lacum, Cauſa ulterias explicatur.

cujus in ſuperficie terræ effluvia videntur. Sna-fells-Jøkuls, cujus naturæ gnarus ſum, aqvæ per meatus abſconditos certe in mare defluunt, ſubmiſſa enim monti terra, ſaxetis cavernoſis & hiantibus ſcabra (§. LIX.), in mare procumbit.

§. CIX.

Fluminis Moda Diſparitio. Adhæc ſpernendam minime veterum traditionem adjiciam, de ingenti olim flumine navigabili, qvod circa prima Islandorum tempora, e Monte Sna-fells-Jøkle, per derupta verſus Öndverdtneſium (§.77.), ſaxa in mare ſe devolviſſe ferunt. Inferunt deinde fabulam, de ejus diſparitione ſubitanea, qvam virtuti Barderi (§. LXXVII.) Magicæ aſcribunt, qvem ab accolis, aliisqve, qvibus flumen freqventer erat, transeundum, volunt idem, rogatum, evaneſcere feciſſe. Tria in procinctu habeo; qvæ Flumen extitiſſe comprobant. Primum, ad latus montis rudera; qvæ priſtini emporii eſſe, dicunt, nam ad hunc usqve locum flumen potuit (juxta eos), navigari. Deinde, procurvus in litus locus, ingentis amnis alveo ſimillimus. Poſtre-

remo usitatum hodie loci nomen, Moda, sive effusum late flumen, qvod absqve causa indepisci neqviit. Postea iccirco flumen disparuit, vel qvod terræ motus, vel catadupi vehementia, harenam fundi discutiendo, aqvæ canales, ad mare, aperuerit.

CAPUT TERTIUM.

DE MINERALIBUS ET METALLIS IN ISLANDIA INVENTIS.

MEMBRUM PRIMUM DE DIVERSIS SALIUM SPECIEBUS.

§. CX.

Postqvam terræ Islandicæ constitutionem tam qvoad strata, qvam qvoad cavernositatem & meatus subterraneos, in capite Primo & secundo hujus sectionis persequutus sum, ad eruendos ortus sive naturam Insulæ; incumbit mihi terræ generum diversorum enumeratio, qvæ ejus naturam itidem denotant. Inter hæc genera prima veniunt Mineralia & Metalla, dein crassiores terræ. Ordo in hac Sectione qvalis.

§. CXI.

Mineralia & Metalla qvalia producat Islandia.

Dudum fuit sæpius interrogatum; utrum Mineralia & Metalla proferret Islandia: in qvo, (præsertim qvod ad metalla attinet) eliciendo exprimendoqve, sudare, mihi fortasse non melius succederet, qvam si aqvam vellem cribro ingerere. Satis est, terræ cunabula perturbatissima, nullum fodinis usitatis, nullum venis dare locum. Verum talium corporum sordes & qvisqvilias, sive varie dispersas partes, non hic solum admittit erumpens Ignis, sed & postulat. Ad meam ergo thesin de Islandiæ origine fulciendam, tali Mineralium Metallorumqve congerie utar, & qvæ hic sunt species, enumerabo.

§. CXII.

Sal Fossilis & Marinus.

Omnium mineralium in Islandia Sal est freqventissimus, communis puta. Ignivomorum montium (f) & in

(f) Nostri Annalistæ literis Mandarunt, qvod post Heclæ Incendium, Anno Millesimo, Trecentissimo, Qvadragesimo, circa ejus radices, tantum Salis (Hvijta-Sallt vocant) copiam offendisse accolas, ut multos illo eqvos onerare potuerint.

& in ſpecie Heclæ eructationes retexerunt ſalem Foſſilem, qvem forte, ex intimis terræ, ſub Islandia, viſceribus, Ignis eripuit. Salem marinum, Salſedo Maris circumflui, non nemini nota oſtendit, qva nec Mediterraneo, nec cedit Atlantico Mari.

§. CXIII.

Salem artificialem non tantum hic optimum poſſe confici, ſed & confectum eſſe a Veteribus, methodo illa, per aqvæ evaporationem, antiqviſſima, tum nomina paſſim locorum maritimorum, indicant, ut prope Septentrionalis Inſulæ Emporium (g) Huſa-vik, Sallt-vik, ſinus. In Veſt-fiørdis (§. VIII. XLII. & XLV.) (h) Sallt-nes promontorium. In Paroecia Montis Sancti (§. LVI.), (i) Sallt-Eyre, ora, & oſtium Sallt-Eyrar os. Tum ipſæ ſa-

Sal Artificialis.

(g) Landnama-Saga Part. 1. Cap. 1.
(h) Sagan af Giſla Surts Syne cap. 19.
(i) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 9. conf. Porneſinga-Saga Cap. 27.
(k) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 23. Ubi Sic: Hallſtein ſenþi þrælana til Sallt-georþar, j Svefn-eyar. Id eſt;

salinæ ostendunt, qvas Hallstanum virum nobilem, sub initium seculi Decimi, unum ex primis incolis, in maris Breyda - fiördici Insulis, Svefn-eyum, instruxisse, prodidit memoriæ antiqvitas. Imo in pluribus Insulis Breyda-fiördicis, Sol, exhausta, in lacunis lapidum litoralibus, aqva, salem hodie relinqvit. Optimum vidi & candidissimum, in Scopulo maris, Fætinum. In parva qvadam Insula non longe a Prædio Nomarchiæ Dalensis, Ballar-a post diuturnos æstatis calores, Sal, circiter Qvinqve libris, Solis ardore excoctus interdum reperitur. In ipso qvoqve ejusdem Nomarchiæ continenti, Nostra (l) Monumenta, Ve-

Hallstanus misit servos, ad Salem conficiendum, in Svefn-eyas, sive somni Insulas. A somno enim qvo obrutos invenit, ob infidelitatem interfecit Hallstanus, in Præla-lag, servorum lacuna, hodie visenda, denominatæ sunt. Hodie qvoqve visendus est locus maritimus, Høfnenn sive Portus, in qvo salem confecerunt.

(l) vid. Blomstur, (qvæ etiam Sturlunga-Saga, sive Islendinga-Sagan

Veteres, circa Annum Chriſti Milleſimum, centeſimum. Sexageſimum, ſalinas poſſediſſe conſtat.

§. CXIV.

Ex his ſalis ſpeciebus, plures hic adeſſe colligitur, ut nitrum & Hali-Nitrum, qvod ignis, in erumpendo, virtutem, neceſſario excitare videtur (Diſc. Præl. §. VI.) De Nitro in litore Auſtralis Islandiæ paſſim invento, multa audivi, accepi qvoqve relationes Veterum de Nitrariis, olim ſitis in rupibus Kriſuvikur-Biarge, prope prædium Kriſuvik, & nitro inde ad exteros antiqvitus exportato, incertæ mihi hactenus fidei. Alumine ſcatet Islandia, maxime circa thermas, ut Olveſianas (§. XCV.), ubi magna ejus co- Nitrum Hali-Nitrum & Alumen.

Mikla, id iſt, Islandorum Hiſtoria Magna, dicitur.). Part. 2. cap. 13. Huſkarlar at Hvole foro ut i Eyar, og er þeir qvamo afftur j Fiauro ſioar, þa feſto þeir Skipit vid Sallt-Holur. Hoc eſt: Domeſtici Operarii in Hvole (Prædio,) transfretabant in Inſulas, & redeuntes, Decreſcente mari, navem figebant, ad Salis foveas (Salinas.).

copia invenitur, ex (m) Halthori cujusdam Johannæi Relatione manuscripta; qvi hanc provinciolam chorographice descripsit.

§. CXV.

Vitriolum Ferri & Acidulæ. Vitriolo Ferri abundare Islandiam (n) Øl-kelldurnar, (ut vulgo di-

(m) Hæc sunt ejus verba: Hia þessum Hverum og lika annarstadar, finnst Alun. Hoc est: Apud has thermas, & qvoqve alibi invenitur Alumen. cf. Mag. Th. Thorlacii dissert. de Islandia, Sect. 1. Thes. 3. §. 4.

(n)(o) Horum fontium mentionem injicit liber, cui Titulus est, Su Konungs lega a Skugg-Sia, Latine, Speculum Regale, antiqva nostra lingva, a Norvago qvodam Anonymo (non Rege, sed ei proximo,) qvi in Papatu, seculo, ni fallor decimo Tertio, vixit, conscriptus, de Ethicis, Politicis, Oeconomicis, Mathematicis, Theologicis, Physicis, in triplici Naturæ regno, præsertim rarioribus, qvæ in orbe hyperboreo observata sunt. Liber, separatis qvibus adulteratus est fabulis & superstitionibus, habitoqve ad ista tempora respectu, neutiqvam despiciendus. Kellor þær ero þar a Landi þui (Islandi), er

dicunt) ſive cereviſiæ Scaturigines monſtrant, qvas, prægnantes eſſe vitriolo, & ſapor & facta experimenta comprobant. Plures ſunt in Promontorio Snæ-fells-neſe, ut in Teſqvis Frodar-Heyde (§. LXI.), prope Emporium Buder (§. LIX.), apud villam Hriſa-kot. Item ad prædium Rauda-mel (§. LXI.), & in valle (o) Hitar-dal (§. LXII.).

Øl-

Landsmenn kalla Aul-kelldr, fyrer þui ſvo kallat vatn, þat er þarer i þeim kelldom, er likara hefat Munngati enn vatni. Fleiri ero a þui Landi helldr enn ein Aul-kellda enn þo er ſu ein, er agiætuz er af ollom þeim oc bez, oc liggr ſu i dal þeim er heitir Hitar-dalr; þat vatn er þar er i, er gott at drecka, oc hefat all-likt Munngati, oc þat er mællt,, þat ſai a menn, ef þat er miøc druckit. Hoc eſt: Fontes ſunt in iſta Terra (Islandia), qvos Incolæ vocant cereviſiæ Fontes, qvoniam ſic dicta aqva, qvæ in iis eſt fontibus, ſimilior eſt Odore (Sapore) cereviſiæ qvam aqvæ. Plures ſunt in iſta terra, qvam unus cereviſiæ fontes, veruntamen unus eſt præſtantiſſimus omnium eorum & optimus, qvi jacet in valle qvæ vocatur Hitæ vallis,

(p) Øl-foß & Øl-kelldubals, in Australi Qvadrante suis nominibus, indigitant, vitriolatas adfuisse aqvas. Utrum (o) Syru-lækiar-os, Rivi ejus nominis, in Nomarchia Skaptafellica (§. LXXV.), ostium, a tali Syru, sive Acore nomen sumserit, adhuc nescio. Mons (r) Skrudu-ren, qvi surgit excavatus, in Orientali mari, antrum habet, in cujus fundo stagnat aqva, eodem ferme modo mineralis.

MEMBRUM SECUNDUM.
DE
SULPHURE, BITUMINE ET ALIIS OLEOSIS.

§. CXVI.

Sulphur Egestitium Islandiam Sulphure esse repletam ex incendiis montium patet, inprimis Aqvi-

Aqva, qvæ inibi est bonus est potus & odore gaudet persimili cerevisiæ, fertur etiam inebriare homines, si multum hauriatur.

(p) Ita Scripsit Ara Prestur Frode Schedarum Cap. 7.

(q) Sagan af Olafe Konge Tryggvasyne Part. 2, Cap. 57.

(r) Landn. Saga Part. 4. Cap. 6. conf. Olafs-Saga Trigga-sonar Part. 2. Cap. 13.

Aqvilonarium, circa Lacum Mi-vatn (§. XLII.), ubi Reykia-hlii-dar-Namur, elata loca, harenosa sunt & conferta sulphure, cujus magnam copiam Dani, paucis ab hinc annis exportarunt.

§. CXVII.

Lapides ex magna parte Bituminosi sunt, qvos Islandi Agat-Steina appellant. Ardent lente, Gagati simillimi, rubro, albo, sed nigro colore freqventissimi, reperiuntur passim in Islandia, ut in Monte Tinda-stole (§. XLIII.), ubi inveniuntur præterea lapides, varia mineralium tinctura, colorati, teriqve faciles, vulgo Natturu-steinar, qvibus virtutes multas attribuit vetus superstitio. Lapides Bituminosi.

§. CXVIII.

In montanis, Eya-fyrde, sinui (§. XLVI.) objectis exiguum materiæ cujusdam Sulphureo-bituminosæ, fodi audivi, qvæ infima est carbonum Fossilium, sive Lithanthracum species. Hac materia, propter terrestrem impuritatem, Fabri Ferrarii uti neqveunt, nisi cum advectitiis Carbonibus misceatur. Juxta meam Carbones Fossiles.

de natura Islandiæ thesin non dantur, nec dari possunt Lithanthraces in Islandia, nisi ejectitii, & per conseqvens, in Igne corrupti variisqve referti sordibus. Tamen in profundiori terra, paulo meliores, qvam in superficie, erui posse non diffiteor. Glebas illas Fossiles (§. LXXXII.), oleo, licet vulgo non sensibili; abundare, facultas Ignescendi promtissima, svadere videtur. Observatum qvoqve est, lætamentum esse terræ aptissimum, qvod forsitan salis abundantiæ acceptum ferant.

§. CXIX.

Aqvæ Sulphuratæ. Aqvæ sulphuratæ. frigidæ, plures ut antea dictum est, (§. XXXVIII. & XXXIX.), adsunt, in orientali Qvadranti. Thermæ Islandiæ pleræqve sulphurosæ sunt, eoqve fervidiores, qvo magis Sulphur redolent. Circa Thermas terra sulphureo-oleosa occurrit, qvæ pro gradu excoctionis sulphuris, varie colorata, ab Insulanis **Hvera-litur**, appellatur. Circa thermas (s) Ölvesii Aluminatas (§. CXIV.)

(s) Ille ita: Hia þessum Hverum og lika annar-stadar, finnst marg-litadur feytur Deygul-Mor. Hoc est;

(§. CXIV.), ejus generis argillam reperiri, Auctor est Laudatus Johannæus. Thermæ circa Geyserum (§. XCVII, & XCVII.), ebullientes, ejus naturæ argilla, flavo, rubro & subrutilo colore, infectæ sunt. Maxime vero in prætio est terra, ad Balneas & Thermas Reyk-holtianas, (§. XXVI.), miniata, qva utuntur accolæ, ad asseres, tignos, postes &c. tingendos.

MEMBRUM TERTIUM.
DE
VARIIS METALLORUM SPECIEBUS.

§. CXX.

Frustra in Islandia, Metalla, nisi egestitia qværi, superius asserui (§. CXI.). Nec ex novo fuisse generata, puto, excepto impuro ferro, in superficie terræ, qvod Islandi (t) Minera Ferri in Islandia.

H 2 Rau-

Apud has thermas, & qvoqve alibi, invenitur multicolor, pingvis argilla (qva scilicet, ad formas, in Islandia, utuntur fabri ærarii.)

(t) Meminit hujus Mineræ Auctor speculi Regalis (vid. Not. ad §. CXV.). Talem in modum: A þui Landi er Malmr sa micill, er jarn skal af-

Rauda vocant. Hoc Minerali, terra illa ferrugine rubricosa, gaudet, qvæ per universam Islandiam, & in primis, prope Ol-keldas, seu Acidulas occurrit (§. CXV.). De unico tantum viro, in parte Occidentali, audivi, qvod ex hac terra Ferrum elicuerit, verum e vestigio, incepto destiterit, minimis impensis non respondente qvæstu.

§. CXXI.

Qva ratione enata sit. Qva ratione Islandia ferrum producat, tam diu latet, qvamdiu ferrariarum natura, non exploratur. Pluviam multum in causa esse opinor. Nam experimentis eruerunt Physici, aërem plenum esse minutissimis ferri ramentis. qvæ pluviæ in terram, plantas & alia vegetabilia invehunt. Sive jam Virtuti Magneticæ, sive aliis imputanda sit talis ferri circumlatio, percontari mea non inter est. Sufficit hoc modo probabilem esse in Islandia ferri generationem, ubi

giaura, oc Menn kalla Rauda. Hoc est: In ista terra est metalli ejus magna copia, ex qvo ferrum potest confici, & qvod vocant vitellum (ad hunc enim rubore suo proxime accedit.).

ubicunqve terra ad ejus naturam apta est. Suffragatur huic sententiæ situs locorum, qvæ ferri minera gaudent. Sunt enim ubiqve humilia & per conseqvens uliginosa; qvoniam depressiora petunt pluviæ, ubi contentas in se terræ particulas congregant (conf. §. LXXXI. & LXXXII.)

§. CXXII.

Hrauna Islandiæ (Disc. Præl. §. X. & En. Hist. §. XI.), seu saxeta, e liqvefacta olim materia concreta, Metallorum sordibus abundare dictum est, maxime Ferri ejectitii, qvod ex omnibus metallis, impuritati terræ, lapidosæ, est amicissimum, & cujus scoriæ, colore, figura, & constitutione, similitudinem referunt (§. X.). Hrauna seu Saxeta Metallica.

§. CXXIII.

De cæterorum metallorum præsentia certi nihil habeo. De Argenti & auri particulis multa audivi, hic inventis, dubiæ Fidei. Vidi adhæc, lapides, qvi non raro reperiuntur, in ruinosis montium clivis, ut in Tinda=Stole (§. XLIII. & CXVII.), & Drapu-hlidar-fialle (§. LVI.). Sunt facile friabiles, & micis, qvas aureas vocant, Islandi, distincti. Mi- Lapides Micis Aureis distincti.

cæ figura Qvadratæ, & extrinſecus & intrinſecus, auri inſtar vel Orichalci politæ nitent. Utrum hæ particulæ, aliqvid metalli in ſe contineant, latet. Ajenti ſententiæ propter nimiam levitatem diffido. Tamen eſſe Analogum qvid Metalli, ſulphure ex majori parte conſtans, non renuo. Lapis enim, in qvo infixæ ſunt micæ, mollis eſt, & male cohærens, imo in incendio qvodam e cineribus compoſitus, qvod ſi difringatur, aduſtæ terræ nidor, ſaporqve commonſtrant.

§. CXXIV.

Lapilli Orichalci colorem referentes.

Nec hic mittendi ſunt lapilli, qvos a loco ſuo natali, Midhuſianos voco, inveniuntur enim æſtate, maximo refluxu maris, in freto qvodam Inſularum maris Breidafiordici, qvæ Mid-huſa-Eyar appellantur, & ad prædium Nomarchiæ Bardaſtrandicæ, Mid-Hus, pertinent. Vulgo ignoti ſunt hi lapides, tam exteris, qvam ipſis Islandis, niſi forte pauciſſimis accolis, nec ipſe illorum naturam perſpectam habeo, multominus hac vice accuratam eorum definitionem erudito orbi exhibere valeo,

leo, cum mihi admodum puero, & res Phyſicas nihil curanti, facta ſit eorum videndi copia, a ſene qvodam, qvi illos tanqvam rarum qvoddam & arcanum naturæ artificium, ſervabat. Hujus de iis certe memini: Magnitudine Pugillares vidi maximos, minores freqventiſſimos. Exterius ſine interſtitiis ſplendent, orichalci vel cupri inſtar, &, qvaſi ejusdem Metalli maſſa eſſent, apparent. Interius vulgares & rudes ſunt lapides, qvos Islandi Bla gryte vocant, qvales in maris fundo & litore reperiri ſolent. Utrum e ramentis ſeu effluviis fundi Metallicis, adhæreſcentibus, an vero, a ſingulari modificatione ſalis, in fundo maris argillaceo, (qvod tamen poſterius citius mihi arridebit,) talem colorem induant, non eſt qvod dijudicem, propter cauſas ſupra allatas. Melior ſe offeret occaſio, aliqvid de illis certius tradendi nec non perfectius, ſi qvando illis potiar.

CAPUT QVARTUM.
DE
TERRÆ SPECIEBUS CRASSIORIBUS, ET CONGELANTIBUS SUCCIS.

MEMBRUM PRIMUM.
DE
CORPORIBUS PETERFACTIS VITREFACTIS, LIGNOQVE FOSSILI.

§. CXXV.

De Gigantibus Petrefactis fabulosa.

Petrefactorum corporum in Islandia, minima pars manifestata est, nemine inqvirente latebras terræ. Qvæ pauca in promtu habeo, in medium proferam. Excluduntur, a Petrefactorum classe, qvos in Saxum olim conversos fuisse vulgus ad ferit, Lucifugas & Noctivagos Gigantes, Islandice Natt=Trøll, cujus naturæ dicunt esse, in aspreto Australis Insulæ, Spiina=Hraune, Trølla=Baurnein, Gigantum liberos, & Scopulum maris in Nomarchia Thingeyensi, (§. XLII.) (u) Natt-fara, in qvem Virum ejusdem nominis, qvi cum Gardero Sveco, Anno octingentissimo,

(u) Landnama-Saga Part. 1. Cap. 1. Part. 3. Cap. 19.

tiſſimo, Sexageſimo, Qvarto, appulit ad boreale littus Islandiæ, & in prædio Natt-fara-vik habitavit converſum fuiſſe, fertur. Cum primis notum eſt Saxum, in Ripis Fluminis Evar-dals-a (§. LXXVI.) in qvod mutatam fuiſſe Fæminam Giganteam, qvæ cum Grettero Robuſto colluctata eſt, (x). Ejus Hiſtoria Fluminis accolas credere, teſtatur. Sed Aniles, ejus farinæ, nugæ, nullam merentur fidem, tum qvia talia Saxa, nullam ſtaturæ humanæ, nullam figuræ ſimilitudinem referunt, tum qvia talis transmutatio ſubdialis tamqve repentina omni experientiæ, ſanæqve rationi refragatur.

§. CXXVI.

Multi ſunt ferventes fontes, in Islandia, qvi virtute perfecte petrifica gaudere creduntur, etiamſi injecta corpora, cortice tantum lapideo, induant. Idem tradunt de Geyſero (§. XCVII. & XCVIII.), accolæ, licet non niſi una immiſſione experti fuerint. Cum vero paucarum horarum intervallo, injecta qvævis red- Thermæ Imperfecte petrificæ,

H 5 dat

(x) Sagan af Grettere Aſmundarſyne Sterka Cap. 62.

dat Geyſerus, iterari deberet immisſio. Poſt primam enim immerſionem, lignum parum qvid incruſtatur. Integra autem mutatio, longius expoſcit tempus.

§. CXXVII.

Thermæ, perfectè Petrificæ. Terra Olveſica (§. XCV.) Scaturit Thermas & calentes rivos, qvi, Teſte (y) Johannaeo (§. CXIV & CXIX.)

(y) Se ull (ſeger hann) edur þeſſ hattar, og liintegundir, lagdar i þeſſa Læke, verda þar med Lang ſeme, ad Steine, eda haurdum Mo, þo med ſama forme og Hluturin, ſem lagdur var þangad j Fyrſtu. Hoc eſt: Si Lana (inqvit,) vel ejus generis, & Lini ſpecies, injiciantur in hos rivos, fiunt, diuturnitate lapis, vel dura argilla (lapis ſciſſilis,) tamen cum eadem forma, ac res, qvæ ibi primum erat poſita.

Autor Speculi Regalis (vid. not. ad §. CXV.) De fontibus Islandiæ fervore æſtuantibus diſſerens, hos Olveſicos, procul dubio, innuit, his verbis: Þar ero þær kellдr, er æ oc æ vella akafliga, bædi vetr oc ſumar, oc er ſtundom ſvò micil akefd þeirra vello, at þær ſpia langt i loft upp þui eno heita vatni. Enn hvat ſem Menn leggia þar i hia kelldonom, huart

CXIX.) omnifaria corpora, ſi in illos injiciantur, in lapidem longo poſt tempore permutant. Horum Fontium unus maxime nobilitatur, prope prædium & Paroeciale templum Reyke. Similiter in Terra Reikæholana, qvam Thermis abundare Superius dictum eſt (§. C.) Petrefactum lignum inventum eſt cujus parvum fragmentum, minus Durum, Pinuiqve Simillimum, ad manus habui. Nigredo inſuper hujus ligni indicare videtur vetus incendium, in qvo in carbones primum, & poſtea in lapidem verſum fuit.

§. CXXVIII.

ſem Tre edr Klædi, edr hvorn lut, ſem vatn þat kann a at koma, i nidrfalli ſino, þa verdr allt at Steine. Hoc eſt: Ibi ſunt fontes, qvi ſemper æſtuant vehementer, & hyeme & æſtate, eſtqve interdum tanta vehementia illorum æſtus, ut evoment admodum ſublime ferventem aqvam. Qvicqvid vero ponitur prope hos fontes, ſive lignum ſit ſive pannus, ſive qvælibet, res, qvam aqva poteſt offendere in delapſu ſuo, totum lapideſcit.

§. CXXVIII.

Lacus & Fluvii perfecte petrefici.

Aqvæ qvædam perfecte Saxificæ, frigescentes, in Islandia, notæ sunt. Flumen in parte Septentrionali maximum, Herads-Vøtnin (§. CVI.) ligna in durum densumqve lapidem convertit. Vidi pineum ex hoc ligno asserculum, nigredine ad ruborem inclinante. Qvadrans Orientalis, alias aqvosissimus, ligna petrefacta producit. Non longe a sinu Reydar-fyrde, in Nomarchia Mulensi (§. XXXV.), nescio in qvonam lacu vel flumine, ingens lignum Abiegnum repertum est, cujus portionem ad manus habui, crassitudine, cum cortice, Bidigitali, Latitudine palmari, bipalmi vero longitudine. Juxta convexitatem asseris, lignum in circulari ambitu, fuit Tricubitale, colore plumbeo, non tamen tanta duritate, nec densitate, ut illud Herads-vatnicum.

§. CXXIX.

Succi Petrifici Natura & qvomodo Naturam Islandiæ aperiat.

Non universa Islandiæ terra prædita est virtute lapidifica, passim enim putrefacta ligna effodiuntur, qvæ præsente vi Saxifica, transmutata fuissent. Gradus petrefactionis corpo-

porum, secundum elaborationis & commixtionis gradum succi Petrefici, variat. Qvalis autem sit hic succus, distincte neqvit explanari. Ramenta lapidum adesse certum est, qvæ humore qvodam, sive salis, sive alio, minerali, coagulata, objecto agglutinantur corpori. Qvando corpus intrinsecus lapidescit, necesse est, tam bene temperatum esse & attenuatum humorem, ut poros omnes pervadat, qvo facto, vi sua peracri & arrosiva, exedit partes corporis, novasqve e rasuris lapidum substituit, pristina fibrarum dispositione retenta.

§. CXXX.

Humor petreficus, per se non est signum enatæ Islandiæ, nam plures sunt antiqvissimæ terræ qvæ illo etiam abundant. Sed cum antea allatis argumentis sumtus, tam Mineralium præsentiam, qvam subtilissimam lapidum dissolutionem testatur. Ligna præterea subterranea, vehementissimam terræ revolututionem monstrant sive hic innata Pinus & Abies (§. CXXVII.) sive adventitia, Sepulta fuerit, superingesta aliunde terra.

§. CXXXI.

§. CXXXI.

Lapidis Rafe-tinnæ natura.

Circa lacum Ignivomum, Myvatn (§. XLII, & CXVI), lapis crebro reperitur, Islandis Hrafn-Tinna, a corvi nigredine & duritia filicis, nomen sortitus. Danis, sub nomine, Islands-Agat, notus est. Hic lapis nitidissimus est, nec non lævissimus, duritate Adamantina, qvare non nisi effusissimo sumtu, cælari & expoliri potest, a Gemmariis. In Igne subterraneo natus fuisse videtur, e massa calcinatorum lapidum, vulgarium, Vitrefacta: nam licet propter particularum Crassitudinem, obscurus esse videatur, tamen cuneatus, in aciei extremitate pellucet.

§. CXXXII.

Ligni Fossilis natura

Ad Petrefactorum classem qvidam retulerunt Ligna Fossilia, non recte, forte qvia ipsa non viderunt; natura enim illorum, qva ligni instar diffindi edolari & nitidissime perpoliri patiuntur, probat contrarium. Non tamen hoc fossile genus lignum est, nec vegetabile, cum vasa non habeat, succo nutricio, recipiendo, idonea, non in terra radices agat, nec

supra

ſupra terram diffúndat ramos. Ab Islandis Surtar-brandur, ſive nigrum tignum, appellatur. In Tribus Nomarchiæ Iſafiórdicæ(L,LI &LVI.) montibus, hoc Foſſile corpus, ſub radicibus, invenitur. E Fiſſuris rupum ſeſe exſerit, impurum, corticoſum, vel magis terreſtre; intrinſecus fibris gaudet ſubtiliſſimis, in longitudinem porrectis. Qvo penitius eſt eo perfectius, optimum flexile, Ebeno non cedit. Hinc ab accolis, in orbes, Scriniorum pedes, menſas &c. tornatur. Omni ligno gravius, in aqva mergitur, non putrefit, nec igni admotum facile inflammatur ſed uritur terræ inſtar. Materia videtur eſſe ligni analogum, generatione Minerale, qva ratione in Islandia primum provenerit, tamdiu latet, qvamdiu ejus conſtitutio perſpecta non habetur. Qvare, næ foret curæ pretium, ejus naturam exqviſitius rimari.

MEMBRUM SECUNDUM.
DE
SAXIS SCISSILIBUS ET CONCHIS CRYSTALLIZATIS.

§. CXXXIII.

§. CXXXIII.

Saxorum scissilium copia.

De exorta, Ignis virtute, Islandia, Thesin, firmissime tuentur & sufful-ciunt, scissiles rupes, qvarum maxime vulgaria sunt, qvæ ab Insulanis, Mo-berg, appellantur, & peruniversam Islandiam dispersa sunt. Prope Tesqva, Ling-dals-Heyde (§. XXII. & LXXIX), Laugar-vatns-Hellrar, antra, in Scissili Saxo. Sub Monte Eya-fiallis (§. XIX) Brusa-Hellir, sive Brusonis antrum, in cujus camera, mihi relatum est, conspici hodie lectum ejus nominis Gigantis, exsculptum e Saxo, & in lecti medio foramen, per qvod, ejus Percussores, viam, gladiorum mucronibus aperuerunt. Permultas tales rupes, Antiqvis notas fuisse, e monumentis vetustissimis clarescit. In Australis Islandiæ Flumine, Rang-a, (z) Mo-Hellur. Hic etiam, in Sudur-nesiis, Amnis (a) Mo-gils-a, & prope prædium Geyt-land (§. LXXV.) (b) Rupes scissiles vastissimæ,

(z) Nials-Saga Cap. 47.
(a) Landnama-Saga, Part. 1. Cap. 11.
(b) Sagan af Gunnare Kelldu-gnups-Sifle Cap. 1.

mæ, in qvibus legi, veteres, antra incidiffe & varie excavaffe, ad fœnum inibi hyeme, pecudesqve cuftodiendum. Montanæ rupes, (c) Heyna-biaurg, ad finum Horna-fiord (§. XCIX.) funt a propria cotium mollitie, denominatæ. In Nomarchia Huna-vatns-fyflu, prædium (d) Mo-berg (§. XLIV.), item Mo-bergs-lækur & Mo-gils-lækur, a Saxis Sciffilibus nomen acceperunt.

§. CXXXIV.

Ex Saxorum Sciffilium conftitutione & fitu, liqvet, ipfa olim fuiffe limum egeftitum, femper enim in valles prona funt vel projecta, ftratisqve freqventer interftincta. Cum jam in Principio limum fuerint, neceffario ab Igne coacervata funt & indurata, poftea, expulfa folis ardore aqva (Difc. Prael. §. X.) Maxime confirmant hanc fententiam, lapilli ifti omnigenii, qvi in talibus Saxis in- *Qvomodo exorta fint.*

 clu-

(c) Nials-Saga Part. 93.
(d) Landnama-Saga Part. 3. Cap. 3 & 5. Sagan af Olafe Konunge Triggvafyne Part. 2. Cap. 99.

clusi occurrunt, ut in Rupe Prestasteine, prope Hrafna-biaurg (§. XXII.) & innumeris aliis, idqve eo magis, qvo montes, in qvibus congesti sunt, evidentius Ignis virtute exstructi sunt. Hos qvoqve montes, in ipso maris fundo, non vero in terra, qvæ superavit mare, erexisse Ignem, lapides majores & minores, qvi alias in maris fundo & in littore, inveniri solent, commonstrant. Si enim ad summa montium cacumina ascendas, saxis sine numero involutos offendes. In Snæfells-nesii montibus altissimis (§. LVIII.), Bulands-Hösda (§. LVII.) & Enne (§. LXXVII.), ejusdem naturæ saxa, qvæ procellis & turbinibus dimota de celsissimis fastigiis freqventer cadunt, notavi.

§. CXXXV.

Conchæ Maris Crystallizatæ.

Pari modo conchæ marinæ, qvæ in limoso maris fundo vescuntur, in talibus terrarum aggestionibus, limo involvuntur, qvod in eruptione Ignis, qvasi condepstum, cum reliqvis Ignis rejectamentis egeritur, & ante dicto modo (§. CXXXII.), exsiccatur. Conchae vero involutæ, qvarum

rum corpora e puriori terra, & maxime Salis humoribus coalita sunt, crystallizantur, excocta nimirum aqva, calore solis, terræ vero vel carnis fibris inarefactis, Salis humor coagulatur, & Sex angularem figuram induit. Ejusdem naturæ conchis, qvas Kuf-skeliar Islandi vocant, crystallizatis, rupes qvædam referta est, in Nomarchia Ding-Eyar-Syslu, non longe ab Emporio Husa-vik.

MEMBRUM TERTIUM.
DE
FLUMINIBUS ISLANDIAE LACTEIS.

§. CXXXVI.

Huic capiti pauca annectere visum fuit, de fluminibus Islandiæ, qvæ qvasi lactea essent apparent, qvorum maxima in Australi parte, (e) Hvit- Flumina lactea.

(e) Sagan af Eygle Skalla-Grims-syne Cap. 30. Ubi de hujus Fluminis nuncupatione agitur, diciturqve, qvod primi repertores, Norvagi, ad visum inusitatæ aqvæ, obstupefacti, constiterint. His Verbis: Skalla-Grimr for upp med aNi, er þeir kaullodo Hvit-a, þvi þeir haufdo œi fir set vatn þau, er or Joklom fello, oc þott

a, i Borgar-fyrde & (f) Hvit-a, i Bistups-tungum. In Boreali vero (g) Blanda, nominis sui occasionem veteribus dederunt.

§. CXXXVII.

Causa Albitudinis Fluminum. Hoc aqvæ genus Islandi vocant Jøkla-vatn, qvia nivosi idem Montes progenerant. Non tamen albescit nive, ut vulgo, absqve omni ratione creditur, sed calce subtilissima, qva

þeim Ain undarliga lit. Hoc est: Skalla Grimerus (cum suis profectus est, Secundum Amnem, qvem Hvita (Album Amnem), vocabant, non enim prius viderant aqvas, qvæ de Jöklis (Montibus Glacialibus,) labuntur, & visus est illis Amnis mire coloratus. Confer. Landnama Saga Part. 1. cap. 17. 20. & 21. Part. 2. cap. 1. & 2. Olafs Triggvasonar-Saga Part. 2. cap. 58. & 73. Eyr-biggia-Saga cap. 52. 56.

(f) Landnama-Saga Part. 5. Cap. 11.

(g) Blanda proprie liqvidorum Misturam significat, cum igitur hoc flumen, colore suo ad lac accedat, cui multum aqvæ admiscetur, Blaundu ipsi nomen veteres indiderunt. Landnama-Saga Part. 3. Cap. 5. 8. &c. Olafs Triggva-sonar-Saga Part. 1. cap. 168. & Part. 2. cap. 2. 21. 54. & 69.

qva Montes, Islandici, ut exusti, interius scatent. Semper enim in albicantium fluminum marginibus, adest, qvædam, colore cymatili, argilla subtilis, qvæ calcem & pumices albos (§. XII.), in se continet. Hanc argillam, e montium, & præ primis nivosorum, ubi maxima aqvarum vis confluit (vid. §. CV.), penetralibus, fluvii secum abripiunt, deferuntqve in litora, calce, ut leviori, in aqva, retenta.

CAPUT QVINTUM.
DE
MARI ISLANDICO, APPENDIX BREVIS.

MEMBRUM PRIMUM.
DE
LITTORE ISLANDICO.

§. CXXXVIII.

Potuissem qvidem Priori Sectioni hoc caput, annumerare, sed cum maris, sive fundi Marini natura & constitutio, qva Incendia submarina & enatas monstrat Insulas, ignota sit, posteriori istud Sectioni, adjunxi. Similiter, qvoniam cum littore mare in- Mare Islandicum qvare hic describatur.

incipit, & inæqvali fundo, montes, partim in se abscondit, partim, qvi Insulæ appellantur, erigit altiores, & littus & Insulas, carptim persеqvi, institui.

§. CXXXIX.

Littoris Australis constitutio.

Non modo in umbilico exusta est Islandia, sed & ipsius oræ seu extremitates, Ignis passim vestigia ostendunt. Sic, ut Australis terra aspera est & exusta, (§. XV. ad XXIV.), ita, tam Promontoriorum, qvæ Sudur-nes, vocantur (§. XXVIII.), qvam reliqvi littoris Saxa, in Igne vel erosa sunt, vel sulphurosa tantum fuligine perfusa.

§. CXXXX.

Littoris Orientalis constitutio

Littus Orientale, scopulosa promontoria, mixtim flexuosum reddunt, mixtim tractus cinerum, in mare excurrunt. Promontorium Longum (§. VII. & XXXII.), rupibus itidem nigratis, e mari attollitur. Hujus Qvadrantis littus, in pluribus locis immutatum est, Austur-Jöklorum (§. XXXII.) Sævitia, qvi egestu Saxorum cinerumqve, littus, in mare usqve operuerunt.

§. CXLI.

§. CXLI.

Littus Septentrionale, in multis locis, pariter montosum est, abruptisqve cautibus, qvæ lugubri adustione nigricant, in mare protenditur. Supra dictum (§. XLII.) est, Hraunhafnense littus, Saxetis esse ab igne productis, confragosum. Descripta qvoqve sunt, in hac parte, in hac parte promontoria, Raudi-Gnupur (§. XLIII.) ; Tinda-stoll, (§. XLIII.), Siglu-nes (§. XLIII.) & Vatns-nes (§. XLIV.).

Littoris Bor. constitutio.

§. CXLII.

Littus occidentale, est etiam ex magna parte delineatum. Pen-Insula vest-fyrdir (§. L. ad LIII.) Surgit e mari ardua, enatis promontoriis & præruptis illis nigrisqve rupibus, Latra-biarg & Biargtangar, qvæ in mare, versus occidentem longissime exporriguntur. In reliqvo hujus qvadrantis littore, notissima Promontoria & maritimi montes descripti sunt (§. LV. ad LVII.), Promontorii Snæfelsness, situs & natura (§. LVIII.) delineatur. Hic scopuli in littore Ge-

Littoris Occident. Constitut.

mini (h) Lon-drangar, ad lacum Lonit (§. LXXXVIII.), a qvibus Saxetum Dranga-Hraun (§. LIX.), nomen duxit, mira cum altitudine acutissimi, Ignis in littore eructationes aperte monstrat. Paucis: Universa, in circuitu Islandia, tam flexuris littorum creberrimis, qvam Saxorum nigredine, mirandisqve fracturis & inversionibus, turbulentissimos natales suos indigitat.

MEMBRUM SECUNDUM.
DE
INSULIS IN MARI ISLANDICO.

§. CXLIII.

Insulæ in Mari Australi.

Relicto Islandiæ littore, ad Insulas me confero, qvæ plures eminent, in Islandico mari, fundumqve totum maris, asperum esse & montosum ostendunt. In Australi mari pleræqve, postqvam habitata est Islandia, protuberarunt. Ex Antiqvis, contra Promontoria Sudur-nes (§. XXVII.) notæ sunt; (i) Vid-ey, ubi olim cœnobium Vid-eyar-Klau-

(h) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 7.
(i) vid. Annales Islandicos passim.

Klaustur (k) Geyrs-Holmur, Hørderi Holm-veria-Kappa & ejus Sociorum refugium, & (l) Eyng ey. Remotiores sunt Skor-ey, a fissura rupium dicta & Geyr-fugla-sker, propior, a Reykia-nesio (§. VII.) Duodecim Milliarium Norvagicorum intervallo distat. Amborum antiqvitas mihi suspecta est. E Regione oræ, qvæ Eya-Sandur vocatur, in Nomarchia Rangar-valla sysslu, sitæ sunt (m) Vest manna-Eyar, habitatæ, qvæ integram Nomarchiam constituunt. Piratæ Tunetani bis hic exscensionem fecerunt. Insulæ sunt plures numero, abruptis atratisqve rupibus constantes. Hrauna qvoqve hic, sed postea exorta sunt.

§. CXLIV.

In Orientali mari sunt (n) Hrol-laugs-Eyar, a Hrollaugo, viro Insulæ in mari Orientali.

(k) Landnama-Saga Part. 1. Cap. 20. & 21. Sagan af Herde oc Heim Holmverium Cap. 24.
(l) Nials-Saga Cap. 11.
(m) Landnama-Saga Part. 1. Cap. 7. & Part. 5. cap. 2.
(n) Landn. Saga Part. 4. Cap. 8. & 9.

nobili (qvi Frater erat Rolfonis, qvi Neustriam Seculo Nono occupavit), denominatæ. (o) Pap-Ey, habitata, sic dicta ab Hominibus, ex Hybernia, Christianis, qvos Norvagi Papa, vocabant. Hi, Gentiles abominantes, detecta a Norvagis Islandia, discesserunt. Vicinus est huic Insulæ, enatus e mari Mons (p) Skrudurin, qvem superius (§. CXV.), attigi.

§. CXLV.

Insulæ in mari Boreali. In Boreali mari sitæ sunt (q) Flat-ey & Hris-ey, habitatæ. In Nomarchiæ Hegra-ness-syslu, sinu Skaga-fyrde (r) Drang-ey, incul-

(o) Landnama-Saga Part. 4. Cap. 11. & Præf. Landn. Olafs Triggvasonar Saga Part. 2. Cap. 4. confer. Schedas Ara Prests-Froda Cap. 1.

(p) Landnama-Saga Part. 4. Cap. 6. & Sagan af Olafe Konge Triggvasyne Part. 2. Cap. 13.

(q) Landnama-Saga Part. 3. Cap. 12. & 17. confer. Sagan af Vemunde og Viga-Skutu cap. 6. & 13. Sagan af Viga-Glume cap. 27.

(r) Sagan af Grettir Sterka cap. 64. &c.

culta jacet, alias Gretteri Robusti exilio, & misera morte, clarissima. Hæc Insula natura munitissima, Scopuli instar erecta est, (qvod nomen ejus significat) inaccessa omnibus, nisi arte esset superata. Constat enim ex magna parte, scissili Saxo; cui clavos veteres impulerunt, fixeruntqve infuso plumbo. In his hodie clavis, scalæ pendent; per qvas fit ascensus. Enatam esse hanc Insulam, Saxum Scissile, inclusiqve illi marini lapides, indicant (vide §. CXXXIII.): Longinqviorum in hoc mari proxima est (s) Grims-ey, habitata, qvæ a Nomarchiæ Skagafiordicæ littore, Septem Milliarium Norvagicorum intervallo dissita est. Ab hac vero, versus Boream, duodecim Milliarium intervallo, (t) Kolbeins-ey, scopulosa, disjungitur. Vulgo ignotæ sunt, versus Euroaqvilonem, a Langanesio (§. VII.), Ægis-sker & Ægis-land, in medio

(s) Sagan af Gudmunde Rika og Porgeire Lios-vetninga-Goda cap. 22. & Sagan af Vemunde og Viga-Skutu cap. 8.

(t) Landnama-Saga Part. 1. Cap. 1.

dio mari inter Grönlandiam & Islandiam.

§. CXLVI.

Insulæ in mari Occidentali. Ad Pen-Insulam, Vest-fyrde pertinet, Vigurin, Ed-ey, (u) Grims-ey. Mare Breydafiordicum (§. LV.) innumeris Insulis plenum, Solis plerisqve, qvæ ad habitatas, circiter viginti numero, pertinent. Habitarum Ocellus (x) Flat-ey, antiqvissimo cœnobio celebris, & codice Regio Flateyensi, qvi Antiqvitatum Septentrionalium maximam partem complectitur, Ad hanc tantum Insulam, Ducentæ Minores, pertinent. Notæ sunt præterea veteribus (y) Hergils-ey, (z) Svefn-eyar (§. CXIII.) (a) Biarn-eyar (b) Olafs-eyar & Hvals-Hauss-Holmur, Oxn-

(u) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 5.

(x) Landnama-Saga Part. 2. Cap. 19. & Sagan af Gull-Porir cap. 10.

(y) (z) Landnama-Saga Part. 2. cop. 19. & 23. conf. Gisla Surs-Sonar-Saga Cap. 25.

(a) Landn. Saga Part. 2. cap. 19. Nials-Saga cap. 9. & Lax-dœla-Saga c. 10.

(b) Sagan af Grettir Asmundarsyne Sterka cap. 51.

(c) Ørn-ey (d) Helga-fells-eyar, (e) Dimon, prope qvam Dimonar-Klackar, Montes duo in mari eminentes, altissimi & simul acutissimi, qvi rupibus abruptis & nigricantibus, exustaqve harena aperte constant. Similiter (f) Ellida-ey & (g) Høskulds-ey, atratis rupibus assurgunt. Disjunctissimæ sunt Kross-eyar, a Decussato inter se situ denominatæ, & (h) Gunn-biarnar-eyar, Insulæ amplissimæ, olim habitabiles, nunc perpetua glacie circumgelatæ. Distant a Pen-Insulanis Octodecim Milliarium Norvagicorum intervallo, iisqve Argesten spectant.

§. CXLVII.

(c) Landnama-Saga Part. 2. cap. 14. & Pornesinga-Saga cap. 29.
(d) Eyrbiggia-Saga cap. 16.
(e) Landn. Saga Part. 2. cap. 14. Eyrbiggia Saga cap. 27. & 29.
(f) (g) Landn. Saga Part. 2. cap. 19. & Pors-nesinga-Saga cap. 4. & 27.
h) Landn. Saga Part. 2. cap. 14. & 29. Eyrbiggia Saga cap. 27. Olafs Saga Triggva-sonar Part. 2. Cap. 61. Grænlands-Saga cap. 2.

§. CXLVII.

Insulæ circa Islandiam, qva ratione fertiles evaserint.

Insularum jam enumeratarum plures sunt, qvæ Ignis præ se non evidentes ferunt reliqvias. Sed nihil ad rem facit; fertiles enim & graminosæ, tam per pluviam Disc. Prael. XIII.), qvam maris, præsertim si humiles sint, fluctuosi & tumidi aspergimem, qvam Islandi, Siá-Rok vocant, fœcundantur. Accedit, tam infracta veritas; ut si enatas esse renuissem, statim herbam porrigere cogerer, & fateri, naturam ea subdio, & coram omnibus, occuluisse, qvæ sub mari altissimo, convelare neqvit; qvod post hæc ulterius monstrabitur.

MEMBRUM TERTIUM.
DE FUNDO MARIS SALEBROSO ET EXUSTO.

§. CXLVIII.

Qvomodo appareat, qvod enatæ sint Insulæ.

Ut Insulæ in mari Islandico, Veniliæ beneficio, superius inundantur, ita inferius illas Salacia denudat, ostenditqve nobis varie inversas salebrosasqve radices (Disc. Præl. §. XII. & En. Hist. §. CXXXVII.). Frustra autem cineres hic qværuntur, cum il-

illos, ut levissimos mare diluat, exceptis celsissimis montibus, qvales sunt Skrudurin (§. CXV & CXLIII.), & Dimonar-klackar (§. CXLV.) qvorum, supra mare, Ignis, fastigia, longe subrigit.

§. CXLIX.

Extenduntur etiam Hrauna, sive salebræ (Disc. Præl. §. X. & En. Hist. §. XI. & CXXII.), per magnam partem maris Islandici, qvæ vel in Insularum vel Montium submarinorum, natalibus & evomitionibus, Ignis produxit. Piscatores Islandici, qvi fundi naturæ sunt gnarissimi, tales aspretorum tractus, cum montibus & hiatibus, detexerunt, partim bolide, partim, fortuito, hamis & Ancoris, qvarum dentibus lapides cavernulosi, Hraun-steinar, (ut vocant), inuncati, extrahuntur. Habent enim certa spacia, in maris fundo, tam accurate determinata, observando in continente, montium situm, inter se relativum, ut punctum in remotissimi maris fundo, qvodcunqve velint, inveniant. Hæc Spacia, hodie (i) Mid & Fiske-mid vo- Hrauna submarina qvomodo delegantur

(i) Sagan af Viglunde væna cap. 10.

vocantur, veteres etiam (k) Vastir appellabant.

§. CXL.

Hrauna submarina sunt piscosa.

Hinc Hrauna submarina, in omnium ore versantur, & freqventantur, propter copiam sublatentium piscium, licet Summa cautela, evenit enim sæpius, ut hami vel dentes ita infigantur salebris, ut lineam vel Ancorale cædere cogatur Piscator, qvi tum Hraun-fastur, sive salebris infixus dicitur.

§. CLI.

Salebræ in mari Austr.

Hæc de salebris submarinis generatim notavi, speciatim vero, qvæ seqvuntur: Australe mare Islandiæ, totum salebrarum tractibus dorsuosum est, qvarum magna pars, postqvam incoli cœpta est Insula, exorta est. Ignis enim hic sæpius, præcipue ex opposito, Promontorii Reykia-ness (§. VII.) e fundo se proripuit, Insulasqve generavit. Similiter mare Westmannicum Salebrosum est (§. CXLII.).

§. CLII,

(k) Sagan af Gisla Surssyne Cap. 25. confer. Edda Isl. Dæme-Saga 42.

§. CLII.

In Mari Islandiæ orientali & Aqvilonari, Aſpreta determinata exhibere neqveo. Illa tamen adeſſe ſparſim Piſcatores confirmant, ſciuntqve nominare **Hraun-lægiur**, ſalebris incubantes piſces, ut Soleas, Aſellos longos &c., qvi in talibus Saxetis maris, ſtabulantes, gracileſcunt, ſqvamasqve deterunt

Salebræ in mari Orientali & Aqvilonari.

§. CLIII.

Paulo mihi notior eſt maris occidentalis natura. Iſafiardicum vulgo **Iſa-Fiardar-diup**, (§. L. & LI.), totum ita confragoſum eſſe & exaſperatum piſcatores, accolæ, teſtantur. Mare Breydafiordicum Salebroſum eſt. In Freto **Flat-eyar-ſunde**, qvod Flateyam & Svefneyam (§. CXLV.), interluit, incipit Hraunorum Scabrities, qvæ per Duo Milliaria Norvagica (niſi; qvod harenoſis areolis, in qvibusdam locis interrumpatur) ad parvam Inſulam, piſcatura & calida, e ſubmarina rupe, dulcis aqvæ ſcaturigine, notam, **Odd-biarnar-ſker**, & deinde Sex Milliarium ſpatio, verſus ſinus oſtium, protenditur. Parilis fundi aſperitas,

Salebræ in mari Occidentali.

in Midis (§. CXLVIII.) Latrensibus (§. CXLI.), & ex adverso Snæfellensibus, (§. VII. & LVIII.), ubi sinus Breyde-fiørdur, oceano aperitur, detecta est.

§. CLIV.

Evripi in mari Islandico.

Præterea Fundum maris Islandici Montuosum esse, hiatibusqve & Saxis Sume indigestis, inæqvalem, creberrimi Evripi, Islandice Rastir, commonstrant. Horum periculosimus est navigantibus, Langa-ness-Røst (§. VII. & CXXXIX.) & Latra-Røst (§. CXLI. & CLII.), qvi, Mercatorias naves ingurgitat. In mari Breydafiördico, Piscatores invenerunt rupturam fundi vastissimam qvæ Kolla-all vocatur. Hæc medium sinus fundum dissecat, immensa profunditate & longitudine, sed latitudine unum vix stadium excedit. Videtur hic fundus, in Insigni qvodam terræ motu, sive alia ejus generis revolutione, disceßisse (vid. Disc. Prael. §. VIII. & En. Hist. §. XXIV.)

§. CLV.

Ejectamenta maris, pristinum incendium indicant.

Varia rejectamenta maris, fundi insuper incendia patefaciunt, ut Pumices Albi & Nigri (§. XII.) Lapi-

des

des illi Bituminosi, Agat-Steinar (§. CXVII.). Vidi & alterum genus lapidis, viride, qvod in Svefneyarum littus (§. CXLV.), ejectum est. Facillime accendi patiebatur, gravemqve sulphuris fœtorem emittebat.

§. CLVI.

Hæc sunt, qvæ hic afferre potui, signa revolutionum, ab Igni subterraneo productarum, qvas Islandia subiit, anteqvam a Norvagis habitaretur. Juxta (1) Landnamæ Auctorem, primum detecta est, Anno Christi Octingentesimo Sexagesimo, Primo, a Nadd-Othone Pirata, gente Norvago. Secundum, a Gardero Sveco, anno octingentesimo, Sexagesimo Qvarto. Tertium a Rafna-Flokone, Pirata Norvago, qvi nomen, qvod hodie retinet, Islandiæ imposuit. Primum enim Sna-land, Nivis Terra deinde Gardars-Holme, nuncupata est Visitata est qvarta vice ab Ingolfo, Norvago, anno Octingentesimo, Septuagesimo, qvi

(1) Landnama Saga Part. I. Cap. 1, 2. 5 & 6. conf. Saga Olafs Triggva sonar, Part. 2. Cap. 6.

qvi illam, anno Octingentesimo, Septuagesimo, Qvarto, coloniis primus occupavit. (m) Sexaginta annorum intercapedine, in tantum crevit Incolarum numerus, ut postea non adauctus sit. (n) Anno Nongentesimo, Trigesimo, institutum est Al-þingt, Generale Forum, visitata prius universa terra. Tunc Leges Sancitæ sunt & coloni numerati. Qvadrantes, Borealis occidentalis & Australis erant populosissimi. In Primo (o) Mille & Ducenti, in Secundo. (p) Nongenti in Tertio Mille in qvarto seu Orientali septingenti coloni numerati sunt, qvorum singuli cum suis familiis proprios incolebant fundos. (q) Anno Millesimo Islandi, Christianam fidem amplexi sunt. Historiis igitur, qvæ, de primis his Islandicæ gentis Originibus agunt, ex magna parte, usus sum prout interruptæ præsentis anni horæ patiebantur. Multo plura & notabiliora, qvæ Islandiæ naturam spectant, si qvis sciscitaretur & ab ipsis Incolis exqvireret, qvod temporis mihi immaturitas denegavit, restecta fore sperarem.

(m) (n) Landnama-Saga Part. 5. Cap. 15. & Schedæ Ara Prests Froda, Cap. 2.

(o) (p) Landnama Saga Part. 2. Cap. 33 & Part. 3. Cap 20. confer. Schedæ Ara Prest Froda Cap 9.

(q) Kristen-doms-Saga Cap. 12. Sagan af Olafe Konunge Triggvasyne Part. 2. Cap. 67. Schedæ Ara Prests Froda Cap. 6.



